



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Princeton University Library



32101 062615347

451

RECAP

2728
.76

SCT
2728
.76



~~I 4564~~

(RECAP)

2728

#. 762.

DE

P A U S A N I A E

FIDE ET AUCTORITATE

**IN HISTORIA MYTHOLOGIA ARTIBUSQUE
GRAECORUM TRADENDIS PRAESTITA.**

COMMENTATIO

AB

**AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN**

ACADEMIA BORUSSICA RHENANA

III. NON. SEXTIL. A. MDCCCXXX.

PRAEMIO ORNATA.

SCRIPSIT

FERDINAND. SOPH. CHR. KOENIG

PHIL. DR.

BEROLINI

IN LIBRARIA AUGUSTI MYLII.

MDCCCXXXII.

GEORGIO LUDOVICO KOENIG

PHILOSOPHIAE DOCTORI ET GYMNASII UTINENSIS RECTORI

PATRI OPTIMO.

PRAEMONITA.

§. 1.

De Pausaniae fide et auctoritate quum tam diversae sint Virorum doctorum sententiae tamque inter se dissidentes, ut vix scriptorem invenias, de quo maior sit opinionum dissensio, mirari libet, neminem, quantum equidem scio, exstitisse, qui ea, qua debuerit, cura et diligentia quaestionem de Periegetae ingenio instituerit. Nam qui ad hunc usque diem in eam rem inquisiverunt, etiamsi plerisque proclive fuisset praeclaram operam navare, tamen paucis tantum argumentis sententiam suam firmasse satis habuerunt. Et quaerenti mihi saepenumero, qui factum sit, ut haec artis criticae pars, quae in scriptorum et vitiis et virtutibus examinandis versatur, Pausaniae minus, quam aliis contigerit, non facile quidnam causae esse dicam, in mentem venit. Etenim quae a scriptorum quorundam usu et consuetudine nos deterret argumenti ab iis tractati ieiunitas, ea tantum abest, ut in Graeciae Descriptionem cadat, ut in quovis alio scripto magis, quam in hoc singulari rerum utilissimarum thesauro reperiatur. Considera modo imaginem, qua locorum facies et natura adumbrata est; mente repete infinitam rerum ab aliis non commemoratarum copiam, tum ad historiam, tum ad theologiam, tum ad artes pertinentem: perpaucos exstare concedes scriptores, ex

A

quibus plura doctrinae praesidia, quam ex Pausania hauriri queant.

Sed quemadmodum, si quis de eo, quid artifex effecerit in pictura recte iudicare ipsique operi eius verum pretium assignare cupiat, diligenter cavere debet, ne colorum nitore captus et occoecatus artem ipsam pictoris perpendere negligat, sic nos de Pausaniae ingenio disputaturi res ipsas a ratione et modo, quo eas expositas videmus, quam accuratissime seiungamus oportet. Longe alia igitur quaestio est, Periegetae indoles et natura qualis fuerit; rursus alia, quam sit utilis et fructuosa materia ab eo illustrata. Quae res vix mihi digna visa esset, quam commemorarem, nisi a multis eam neglectam esse vidissem. Quin vel novissimus Pausaniae editor, excitata Boeckhii sententia „*ego autem, pergit, si is essem, qui in Pausania plura esse vituperanda, quam ferenda et laudanda censerem, non debuissim animum ad eius Descriptionem edendam applicare.*” Siebelis. ad Paus. Tom. II, p. II.

Iam vero quoniam Graeciae Descriptio pluribus partibus constat, quae non in eodem argumenti orbe versantur, non imitanda certe est eorum temeritas, qui ex paucis locis intelligere sibi visi sunt, quid in universum de Periegetae ingenio statuendum sit. Verum enim vero disquisitionis campus tam late patet, ut nisi arctioribus eum finibus circumscripseris, quo primum cursum dirigas, quo postremum, incertus haereas. Atqui quum Amplissimus Ordo examinandum proposuisset, *quae Pausaniae esset tum in rerum gestarum narratione fides, tum in fabularum explicatione ναῦςηοία et iudicii subtilitas, tum in artis operum descriptione et aestimatione peritia*, ut singulis quaestionibus responderemus, tripartitam fecimus disputationem nostram. Ad quam accedere ausi non essemus, quum probe perspectum haberemus, in mari scopulis plenissimo nos esse ver-

saturōs, nisi animum nostrum erexissent ingeniosis-
simi poetae verba:

— τὸ δὲ ζητούμενον
ἀλωτὸν ἐκφεύγει δὲ τ' ἀμελούμενον.

§. 2.

Ad rem ipsam autem priusquam progrediamur, haud alienum erit indicasse, quidnam de patria Pausaniae et aetate, de consilio eius et instituto comperti habeamus. — De vita autem scriptoris nostri quominus longi simus, duae obstant causae: primum quod, nisi meris coniecturis indulgere volumus, perpauca tantum constare nobis fatendum est; deinde quod iam *Siebelisius*, mea quidem opinione, rectissime eos refutavit, qui Cappadocem illum rhetorem, cuius vitam enarravit Philostratus (Vit. Sophist. II. 13.), eundem esse, quem Periegeten nostrum contenderent. Comparatis enim inter se Pausaniae locis V. 13, 4. II. 22, 4. I. 21, 5. I. 24, 8. Lydum fuisse scriptorem nostrum et ad Sipylum diutius commoratum docte collegit. Praefat. p. V. Cui sententiae *Boeckh*ius non leve addidit argumentum, quod *Cappadocis Pausaniae oratio Herodae similis aliquatenus Philostrato testante fuerit, cui Periegetae dictio nulla ex parte congrua sit* (Ind. Lectt. in universit. litt. Berol. per semestre hibern. MDCCCXXIV — XXV. instituendarum, p. 4.). Dubitationem vero, qua *Gedoy*nus motus Ioniam scriptori nostro patriam, vindicaverat, *Siebelisius* certe tollere non dignatus est ¹⁾. Ille igitur non negat quidem,

¹⁾ *Boeckh*ius Pausaniam Magnesiaem natum esse coniciens *Gedoy*nus tacite improbat (cf. *Boeckh*. I. I. p. 4. adn. 3.). Quam urbem si Pausaniae patriam fuisse certo affirmari posset, de qua re tamen me dubitare haud diffiteor, nulla esset *Gedoy*ni dubitatio. De Magnesia ad Sipylum sita cf. *Radolphus Rochettus Hist. Graec. Colon. III. 43.*

verba παρ' ἡμῶν (lib. V. c. 13.) ad Lydiam referenda esse; nihilominus Pausanias ipsi natione Graecus fuisse videtur. Praef. edit. pag. XXIX ²⁾. Quamobrem in eam discedit sententiam, ut Periegeten ex oppido aliquo Ioniae oriundum existimet. At haec coniectura nihil habet, quo se tueatur. Nam Lydi iam Herodoti aetate prope similibus moribus atque Graeci utebantur (Herod. I. 94.), et insequentibus temporibus morum discrimen, quod inter utrosque interfecserat, prorsus sublatum esse videtur. Lydos certe ipsos Graecis se adnumerasse apparet ex eorum numis; cf. Spanhem. de U. et Pr. N. p. 618. Eckhel. D. N. T. III. p. 115. sq.

§. 3.

De aetate Pausaniae ambigi non potest. Vixit enim Hadriano et Antoninis imperatoribus: I. 5, 5. VIII, 9, 5. VIII. 43, 2. et 4. X. 34, 2. De tempore autem, quo Graeciae Descriptionem confecerit, quum alii aliter sentiant, paullo accuratius disputandum est. Ac primum quidem *Xylandri* error notandus est, quem editores Pausaniae ad unum omnes repetiverunt. Ille enim ad Paus. lib. V. 1, 1. „*ex hoc loco, ait, intelligi potest, quando ista scripserit Pausanias. Dio docet, Corinthum a Iulio Caesare instauratam fuisse ultimo ipsius vitae anno, qui fuit ab U. C. DCCX. Adde his CCXVII., incidet in annum Romae DCCCCXXVII., qui Antonino Philosopho imperii fuit annus XVI.*” At Antoninus Philosophus imperium adeptus est anno CLXI. p. C. n.; ergo, si Pausanias Eliaca priora composuit anno Urb. DCCCCXXVII. i. e. CLXXII. p. C. n., hanc operis partem scripsit anno XIV. imperantis Antonini Philosophi. Deinde sponte intelligitur, longum tempus in Graecia, tum perlustanda, tum describenda eum consumsisse VII. 20.

²⁾ D'un autre coté il est certain, que Pausanias était Grec d'origine, on sent même qu'il parle des Villes Grecques de

3. VIII. 8, 2.³). Quando vero descriptionis initium fecerit, non satis mihi constare ingenue fateor. Mentio quidem fit terrae motus, quo Sicyonia, Rhodus et Asiae minoris oppida afflicta sunt. Lib. II. 7, 1. Qui si, ut *Clavierius* (Auctar. adnot. p. 71.) alique censent, idem est, de quo Aristides (Tom. I. p. 533.) loquitur ⁴), Pausanias Corinthiaca certe post annum CLIII. conscripsit; cf. *Iebb. Collect. Histor.* §. VI. 14. — Neque quidquam commemorat, quod Antonini Philosophi aetatem excedat. Nam Castoboci, gens Sarmatica, (X. 34, 2. VIII. 43, 4.) anno CLXVI. Graeciam invasisse videntur; cf. *Tillemontii Imperatorum hist.* p. 597. sq. T. II. p. II.

§. 4.

Ad Graeciam autem describendam antequam se accingeret, diuturnas peregrinationes instituerat. Praeter Graeciam magnamque Asiae minoris partem tum Libyam V. 15, 7. IX. 16, 1., tum Aegyptum I. 42, 2., tum Palaestinam V. 7, 3., tum Italiam adiit V. 21, 1. Romae diutius versatus esse videtur: VIII. 17, 3. V. 21, 4. VIII. 46, 2. IX, 21, 1. X, 5, 5. Utrum vero

l'Asie Mineure avec une complaisance, qu' inspire d'ordinaire l'amour de la patrie; etc.

³) Priori loco quum mentionem odei ab Herode Athenis exstructi fecisset, ἐμοὶ δὲ, αἰτ, ἐν τῇ Ἀτθίδι συγγραφῇ τὸ ἐς τοῦτο παρελθὼν τὸ ᾠδεῖον, ὅτι πρότερον ἔτι ἐξελεγκαστό μοι τὰ ἐς Ἀθηναίους ἢ ἐπῆρτο Ἡρώδης τοῦ οἰκοδομήματος. — Alter locus, quem infra etiam attingam, hic est: τούτοις Ἑλλήνων ἐγὼ τοῖς λόγοις ἀρχόμενος μὲν τῆς συγγραφῆς εὐθιᾶς ἔνεμον πλέον, ἐς δὲ τὰ Ἀρκάδων προεληλυθὼς πρόνοιαν περὶ αὐτῶν τοιάνδε ἐλάμβανον κ. τ. λ.

⁴) Praeter Aristidem I. I. tum Pausanias VIII. 43., tum Capitolinus in *Anton. Pio* p. 29. *Cas. cap.* 9. huius terrae motus mentionem fecerunt. De Sicyonia autem deleta, nisi in priore Pausaniae loco, nusquam mentio fit. Non video igitur, cur *Meursius* (lib. II. de Rhodo c. 24, p. 110.) hunc scriptoris

per Epirum, Macedoniam, Thessaliam, Siciliam, Sardiniam itinera fecerit, ut *Leakius* (topography of Athen p. XXIX.) et *Krusius* (Helladis Tom. I. p. 42.) censent, an ex autoptis de his terris certior factus sit, disertis verbis non indicat. Egregie autem fallitur, qui Pausaniam per Hispaniam permeantem sibi finxit in libro, qui inscribitur: *Biographie universelle ancienne et moderne* Tom. XXXIII. p. 220. *Paris*. MDCCCXXIII.

§. 5.

Iam vero quid sibi scriptor noster proposuerit et quem finem respexerit, examinandum erit. Nam a consilio et instituto rerum delectus earumque tractandarum ratio et modus maxime pendet. Pausanias igitur singulas Graeciae partes perlustrans, locorum faciem et naturam adumbrat; rerum gestarum memoriam, cum recentem et aetatis suae aequalem, tum remotam et antiquam exponit; fabulas et mythos, sacrorum ritus et formulas enarrat; simulacra et imagines, templa aliaque monumenta describit. Attamen harum rerum delectum quendam instituit; quippe qui ea tantum commemoraturus esset, quae memoratu digna ipsi viderentur: ἐμοὶ γὰρ ἐξ ἀρχῆς ἠθέλησεν ὁ λόγος ἀπὸ πολλῶν καὶ οὐκ ἀξίων ἀφηγήσεως, ὧν ἕκαστοι παρὰ σφίσι λέγουσι, ἀποκρῖναι τὰ ἀξιολογώτατα. III. 11, 1. cf. I. 39, 3. VI. 11. et de artis operibus I. 23, 5. I. 35, 4. I. 13, 5. VIII. 10. Laudat ipse hoc institutum suum: ὦ; οὐν εὖ βεβουλευμένος οὐκ ἔστιν ὅπου παραβῆσομαι; neque est profecto, cur reprehendatur, modo limatum sit scriptoris iudicium et subactum, ut quid commemorandum sit, quid omittendum, discernere queat. Ac Pausanias quidem in narrationibus, quae circumferebantur, colligendis comparandisque multum operae consumsit; sed

nostri locum ad antiquiorem terrae motum, quo Rhodus primum concussa est, referat. Rostius *de Rhodo* p. 44., ubi de hoc terrae motu disputat, Pausaniae non meminit. —

in Architecturae, Sculpturae, Picturae monumentis describendis primum eius versatur consilium; ut cetera, quae memoriae mandavit, aut vinculum sint, quo singulae res annectantur, aut ornatus varietatisque causa addita esse videantur. — Quae quum ita sint, non possum, quin ab iis discedam, qui scriptorem nostrum id praecipue egisse sibi persuadeant, ut rerum publicarum statum et conditionem adumbraret.

His autem rebus pro virili parte exploratis ad rem ipsam progrediamur.

CAPUT I.

De fide Pausaniae in rebus gestis enarrandis.

§. 6.

Instituentibus igitur nobis in fidem Periegetae inquirere omnino quae ipse visu audituque cognovit, et quae ex aliorum tradit auctoritate, quam accuratissime erunt discernenda. Haec autem, quae ipse visu percepit, tum ad locorum faciem et naturam, tum ad artis opera et monumenta, tum ad incolarum instituta et mores pertinent. Iam vero in his rebus enarrandis maximam esse Pausaniae fidem, curam, diligentiam, omnes, qui aliquid iudicare possunt, uno ore consentiunt. Imprimis enim audiendi sunt, qui exquisitis litteris instructi in Graecia perlustranda summum studium operamque collocarunt, *Dodwellus*, inquam, *Gellius*, *Leakius*. Quorum testimonia satis luculenta⁵⁾ egregie refutant

⁵⁾ *Dodwell Class. Tour.* p. 436.: „It is a circumstance of singular interest, that the marks of the inundation, which are mentioned by the topographer, remain to the present day, and thus afford us an opportunity of bearing testimony to his veracity.”

W. Gell Narrative of a Journey in the Morea p. 370.: „I could not help remarking the astonishing exactitude of Pausanias in his description of Greece.”

Leake topography of Ath. p. XXXIII.: „no writer more strongly possesses internal evidences of truth and fidelity.” — Afferre mihi etiam liceat *Hobbesii* testimonium in *Journey through Albania* I. p. 214. „Pausanias alone will enable you

iniquam Scaligeri, Pauwii (*Recherches philos. sur les Grecs* II. p. 225.) aliorum reprehensionem. Etenim quem primo loco posui, *Julius Caesar Scaliger* Pausaniam omnium Graeculorum dicit mendacissimum (Commentar. in priorem librorum de plantis, Aristoteli inscriptorum p. 89. edit. Crisp.); eidem tamen accedere non videtur patre ingeniosior filius (cf. *Scaligerana*, p. 303. ed. Coloniae Agripp. MDCXCV.). Ac mendacii crimen in Periegeten res a se ipso cognitae memoriae mandantem non cadere, vel ex eo intelligitur, quod ingenue fatetur, se hoc illud neque ipsum vidisse, neque ex locupletibus et certis testibus audivisse: III, 24, 5. IV, 31, 5. Sunt tamen fortasse, qui id urgere velint, quod Strabo oppida quaedam, quorum ruinas copiose et accurate scriptor noster adumbrat, funditus deleta esse contenderit. At Strabonis in his rebus auctoritas maxime eo infringitur, quod horum locorum ruinae etiamnunc peregrinantibus admirationem movent ⁶⁾).

§. 7.

Summa autem Pausaniae fides in rebus, quas ipse vidit, enarrandis bene nos sperare iubet, fore, ut in

to feel at home in Greece, — and id is true, that the exact conformity of present appearances with the minute descriptions of the itinerary is no less surprising than satisfactory."

⁶⁾ De Mycenis Strabo VIII, 372.: — χρόνοις δ' ὕστερον κατασφραγισαν ἐν Ἀργείῳ ὥστε νῦν μὴδ' ἔχρος εὐρίσκεισθαι τῆς Μυκηναίων πόλεως. De huius oppidi ruinis, accurate a Pausania descriptis, cf. *Gellii Argolis* p. 30. sqq. Aequè negliger Strabo de Thebis IX, p. 403., de Haliarto IX, p. 411., de aliis Graeciae urbibus disputat. — Verissime Leakius l. l. iudicat: „While Strabo desirous of presenting to his readers a general system of geography, was obliged to trust in great part to the information of others, Pausanias fortunately confined his principal inquiries to one country, and that the most interesting of all. The description of Greece by Strabo is consequently extremely imperfect, when compared with that, which Pausanias has left us." —

rebus gestis exponendis eandem auctoritatem vindicare sibi possit. Attamen rerum, quas aliis acceptas refert, fides pendet ex fontium, quem instituit, delectu et ex ratione et modo, quo eos secutus est. Inquiramus igitur oportet, primum, *quibusnam fontibus usus sit*; deinde, *qua fide, qua diligentia, quo iudicio historico* aliorum tradita memoriae mandarit.

§. 8.

Ac primum quidem ad monumenta transeamus, quorum divitiis quum unaquaeque fere Graeciae civitas abundaret, dolendum sane est, quod Pausanias ex hoc historiae fonte non pleniori ore hausit. Athenae imprimis quot historiae praesidia Periegetae suppeditassent, modo hic iis uti voluisset. Plura ibi loca veteribus commemorantur, quae tabulas publicas posteris reservabant, ut *Μητρώον* (Athen. V. c. 14. IX. c. 17. Suidas s. v. *Μητραγύρτης*. Harpocrat. s. v. *Μητρώον*), et in arce infinita vis *ψηφισμάτων* congesta fuit. Sed acta publica Senatus et Populi, decreta magistratuum tantum non inspexit; in transcurso solum foedera nonnulla aeri incisa commemorat. V. 23, 3. c. 12. extr. c. 21, 1.

Reliqua monumenta, quae adhibuit, in tres classes digeri possunt, quarum prima *indices Olympiadum et Olympionicarum*, altera *catalogos sociorum*, tertia *inscriptiones tum honorarias, tum sepulcrales* completitur.

Iam quod ad primam classem attinet, inde a Co-roeho victorum nomina continua serie enotata erant; V, 8, 3. Qui catalogus magno fuit historiae adiumento, non quidem, quod multarum rerum memoria eam locupletaret, sed quod certam temporis notationem contineret. Pausanias eum diversis nominibus excitat: quem enim τὰ ἐς τοὺς Ὀλυμπιονίκας Ἡλείων γράμματα (III, 21, 1. VI, 21, 5. 2, 1. VI, 13, 6.) dicit, eundem vel τὰ Ἡλείων γράμματα (V, 4, 4.) vel κατάλογον τῶν

Ὀλυμπιάδων VI. 22, 2. appellat⁷⁾. Similibus catalogis usus est Corinthiorum et Argivorum. Laudantur eorum ὑπομνήματα ἐς τοὺς Νεμεάτας VI, 13, 4; in quae tamen non omnes antiquiorum temporum victores relati erant.

Inter sociorum catalogos primo loco ponendus est ὁ κατάλογος συμμάχων, sive catalogus eorum, qui in bello Persico a parte vel Lacedaemoniorum vel Atheniensium steterant; VII, 6, 3. Nomina eorum, qui ex Graecis belli Persici participes fuerant, donario Olympiae dicato inscripta erant: VI, 23, 1. VII, 6, 3. Similes catalogos consuluisse videtur I, 25, 4. X. 20, 3.

Denique saepissime Pausanias in partes suas vocat epigrammata ad rerum gestarum hominumque insignium memoriam conservandam ἀναθήμασιν et tumulorum cippis insculpta. Quod inscriptionum genus, libertate Graeciae extincta, servilis adulandi libido saepe adulteravit. Haud raro igitur, ut *Prusaei* rhetoris verbis utar (Tom. II, p. 122.), τὸ μὲν ἐπίγραμμα ῥωμαΐζειν, ὁ δ' ἀνδριὰς ἐλληνίζειν solebat. Pausanias ipse huius rei exempla quaedam affert: τὰς Μιλτιάδου καὶ Θεμιστοκλέους εἰκόνας ἐς Ῥωμαῖόν τε ἄνδρα καὶ Θοῤῃα μετέγραψαν. I, 18, 3. — τὸ δὲ ἐπίγραμμα τὸ ἐφ' ἡμῶν τὴν εἰκόνα ἄλλω δίδωσι καὶ οὐ Ποσειδῶνι. I, 2, 4. —

§. 9.

Iam ad prosae orationis scriptores nos convertamus, et primum quidem ad eos, qui quum in mythicis temporibus enarrandis versarentur, mythographi sive λογογράφοι appellati sunt. Quae enim carminibus cy-

⁷⁾ De hoc catalogo pluribus egit Gölle. *de situ Syracus* p. 198., cui tamen in ea re non accedo, quod ex Paus. VI, 8, 1. colligit Euanoridam, in puerili lucta quondam victorem, serius Hellanodicam factum, victorum nomina *primum* in tabulas retulisse. Nam Paus. indicat, hoc iam antea a Paraballonte susceptum opus esse. De Euanorida enim ἔγραψε καὶ οὗτος, αἶτ, τὰ ὀνόματα ἐν Ὀλυμπίᾳ τῶν νενικηκότων Paus. I. I.

clicis celebrata erant, ut Deorum heroumque genealogiae et res gestae, populorum et oppidorum origines mythicae, ea oratione soluta tradenda sibi proposuerant. Praeter poetas quidem etiam monumenta (Dionys. Halic. T. IV, p. 819. ed. Reisk.) et popularium narrationes (ibid. p. 823.) adhibebant; sed quum artis criticae ignari essent, vera cum fabulosis commixta memoriae prodiderunt. — Ex his igitur Pausanias laudat *Hecataeum* (VIII, 4, 6. VIII, 47, 3. III, 25, 4. IV, 2, 2.) *Charontem Lampsacenum* (X, 38, 6.), *Hellanicum* (II, 16, 5. II, 3, 7).

Inter historicos autem, qui digni eo nomine haberi debent, plurimum tribuit *Herodoto*. Saepe enim non solum in rebus gestis enarrandis, sed etiam in locorum regionumque natura describenda ad huius auctoritatem provocat (I, 43, 1. III, 2, 3. V, 26, 4. IV, 35, 6. X, 20, 2. X, 33, 4. et 5.); neque repetere vult, quae ab illo copiose et accurate essent narrata — ταῦτα εἰπόντος Ἡροδότου καθέκαστον αὐτῶν ἐπ' ἀκριβές, οὐ μοι γράφειν κατὰ γνώμην ἦν εὖ προειρημένα κ. τ. λ. II, 30, 5. cf. I, 5, 1. Sed cave, ne hoc ita interpreteris, quasi Pausanias omnia, quae ille accurate pertractasset, prorsus omiserit; immo vero pluribus locis, ubi fontem non indicat, Herodotum sequitur ducem: cf. modo Paus. III, 2, 3. et 4. — c. 3, 5. — c. 3, 7. — c. 4, 1. cum *Herod.* I, 65. — I, 67. — V, 39. sq. — V, 42. sq.

Herodoto aetate proxime *Antiochus* Syracusanus accedit (Heynius *de fontib. Diod. in Commentt. Soc. Gott.* Vol. VII, 6. p. 136. Niebuhr. *Histor. Rom.* T. I. p. 19. edit. III.); cuius *Σικελιωτίδα συγγραφήν*, libris novem comprehensam (Diod. Sic. XII, 71.), de Liparaeis scriptor noster consuluit. X, 11. — *Thucydidem* obiter tantum commemorat lib. VI, 19, 3.; eundem tamen passim compilasse videtur. Neque *Xenophontem*, etiamsi ex huius scriptis nullum testimonium affert, neglexit. Ad *Hellenica* enim, in quibus res a Graecis inde ab Ol. XLII. 2. usque ad pugnam illam ad Mantineam

gestae expositae sunt, respexit I, 3, 3., atque Anabasin ipsi lectam fuisse, locus, qui legitur V, 6, 4, argumento est. Cf. Kuhnus ad Paus. p. 338. — *Ctesiae* etiam λόγον ἐς Ἰνδοὺς commemorat IX, 21. et inter rerum Sicularum scriptores praeter Antiochum supra laudatum ad partes *Philistum* vocat. I, 29. V, 23. *Timaeum* quoque Niebuhrio iudice (*Histor. Rom.* T. I. p. 189. ed. III.) in iis, quae de Sardinia litteris consignavit, ducem habuit.⁸⁾ *Theompompus* autem, quem III, 10. excitat, duo reliquerat scripta: *Hellenica* Thucydidei operis continuationem ad pugnam navalem ad Cnidum Ol. XCVI, 3., et *Philippica* historiam sui temporis generaliore. Ex Philippicis Pausanias quae I. I. Theopompo accepta refert, et quae ibidem de Archidami in Italiam expeditione enarrat, procul dubio hausit; cf. Wichers. *Theopompi fragment.* p. 257. ed. Lugd. Batav. 1829. Plura ex eodem fonte hausisse videtur; quantum tamen inde petiverit, tunc demum accurate definiri posset, si integrum haberemus Theopompum. Idem de *Anaximene*, cuius *Hellenica* et *Philippica* meminit VI, 15, 2., nobis fatendum est.

De rebus, ab Alexandri successoribus gestis, consulit *Hieronymum Cardianum* ob nimium in Antigonum studium notatum I, 9, 10; qui τὰς τῶν διαδόχων ιστορίας scripserat (Diod. Sic. XVIII. 142). Hic non solum de iis, qui Alexandri regnum partiti erant, sed etiam de eorum filiis sive ἐπιγόνους egerat (Dionys. Halic. I, p. 17. ed. R.). Hieronymum igitur Pausanias etiam de Pyrrho inspexit (I, 14.), quamquam de huius rebus gestis praesertim *commentarios*, ab *historicis haud ita illustribus compositos* secutus videtur, c. 12, 3. Verumtamen alios quoque de rebus Macedonicis ante oculos habuit (ἥδη δὲ ἔγραψαν I, 10, 3.), atque vix fallimur, si graves illos historicos, *Duridem* et *Phylarchum* ab eo ad-

⁸⁾ De Philisti et Timaei vita et scriptis cf. Göller *de situ Syrac.* p. 143. sqq. et p. 177. sqq.

hibitos esse statuamus. Nam in nulla operis parte res tam accurate persecutus est, quam lib. I. historiam successorum Alexandri, et lib. X. c. 19—23. Gallorum expeditiones. Quibus in describendis prorsus eum cum Iustino consentire praeter *Valckenarium*, a Siebelisio ad Paus. l. c. laudatum, monuit etiam *Heerenius* (de Trogi Pompeii fontibus, Commentt. Gott. XV. p. 231.). Sed licet Iustinus, sive Trogus Pompeius eundem atque Pausanias ducem secutus sit, neuter fontem suum indicat.

Jam priusquam ad alios minus claros scriptores progrediar, Polybius commemorandus est. Cuius scripta Pausaniam non ignorasse vel ex lib. VIII, 30, 4. apparet. Ex *Historiis* etiam, quae de Philopoemene VIII, 49—51. tradit, verisimiliter hausit aliaque petisse videtur.

Ex Atthidum scriptoribus laudat *Clitodemum* (X, 15, 3.) sive *Clidemum* (Plutarch. Op. I, p. 37, 75.) antiquissimum eorum, qui τὰ τῶν Ἀθηναίων ἐκτάγματα scripserunt. Aetas huius scriptoris certe post tempora demum belli Peloponnesiaci incidit; nam expeditionis in Siciliam mentionem fecit; cf. *Siebelis*. ad Phanodemi, Demonis, Clitodemi, Istri Fr. p. XIII. Praeter hunc inspexit Periegeta etiam *Androtionem*, quem post Olymp. XCVI. vixisse ex Paus. VI, 7, 2. comparato cum Diod. Sic. XIV, 79. discimus. *Siebel.* ad Philochori et Androt. fragm. p. XIII. sqq.

In bello primo Messeniaco describendo ducem habuit *Myronem Priensem*, qui res Messeniorum inde ab

⁹⁾ Non possum quin discedam ab *Heerenio* (de Fontib. Plutarchi p. 86. sq. Gottingae MDCCCXX.), qui Pausaniam peculiarem Polybii librum de Philopoemenis Vita scriptum consuluisse censet. Nam in hoc libro de Philopoemenis pueritia et institutione uberius egerat Polybius; de iis vero, quae ab illo virili aetate gesta erant, copiosius in historiis disputaverat. Atque Pausanias perpauca tantum de Philopoemenis pueritia tradit, quae fere eadem in Polybii historiis leguntur.

Amphēae eversione ad mortem usque Aristōmenis persecutus erat. IV, 6. Multum autem eius auctoritatē, Pausania iudice, tribui non potest, quippe qui tum in aliis scriptis, tum in Messeniācis securus utrum ficta, an vera proferret, commentis nimium indulserit. De aetate, qua ille vixit, ambigitur; ex oraculo tamen, iambico metro scripto, IV, 8. hunc ad antiquiores scriptores referri non posse colligo.

Restat *Callippus*, incertae aetatis scriptor, quem Pausanias in rebus Orchomeniorum illustrandis IX, 29. 38, 6. ducem habuit.

§ 10.

Inter poetas, quorum innumera fere affert testimonia, epici carminis auctores imprimis commemorandi sunt. Qui quum in heroum expeditionibus et erroribus enarrandis versarentur, ut *Homerus*, *Theſaidum*, *Argonauticorum*, aliorum carminum scriptores; vel priscorum regum heroumque stirpem ac progeniem enumerarent, ut *Hesiodus*, *Asius* (Valckenar. Diatrib. Eurip. p. 59—60. Not.) *Cynaethon* (Biblioth. vett. litt. et artt. fasc. IV. init.); vel regionum singularum historiam celebrarent, ut *Exmelus* (Biblioth. vett. litt. fasc. II. p. 94. sq.) et *Minyadis*, *Europiae*, *Oedipodeae* auctores (Wüllner. *de Poetis cycl.* p. 54. 57. sqq.), multa sane praesidia ad priscum Graeciae statum cognoscendum suppeditabant. Singulos autem, quos adhibuit Periegeta, poetas tum epicos, tum scenicos, tum lyricos persequi, longum est et a proposito nostro alienum. Prae ceteris tamen summam auctoritatem tribuit Homero, II, 21., ¹⁰⁾ quem plerumque disquisitionis de antiqua Graeciae historia fundamentum ponit. Ac Pausaniae id quidem vitio verti non potest, quod saepissime ad Homerum provocat; si modo iudicium in singulis rebus

¹⁰⁾ ἐγὼ δὲ (πρόσκειμαι γὰρ πλέον τι, ἢ οἱ λοιποὶ, τῇ Ὅμηρου ποιήσει) δοκῶ κ. τ. λ.

diudicandis nobis probaret. Qua de re infra, quum in rationem et modum inquirimus, quo ille fontes secutus sit, disputandi locus erit. Hic autem silentio non est praetermittendum, multa egregia iudicia eum de carminum quorundam *γρηγορίῳ* tulisse. Quae est enim Pausaniae sententia de Orphei et Musaei carminibus I, 14., de Homeri Thebaide IX, 9., de Hesiodi Theogonia IX, 27., eam magnis laudibus effert Ruhnkenius, acutissimus harum rerum arbiter (hymn. in Cererem p. IX.). Haec certe iudicia ingenium praedicant diuturna poetarum lectione subactum. Idem quin ἡ Κορινθία συγγραφή tribuenda sit Eumelo, dubitat II, 1, 1. Neque temere hanc dubitationem movit, quum Eumeli Κορινθιακὰ oratione vineta fuerint scripta. Schol. Pind. Ol. 13, 74. Tzetz. ad Lycophr. 174. cf. *Groddeckius* in Biblioth. vett. litt. et artt. l. l.

§. 11.

Multis licet litteris instructus fuerit, tamen magnam rerum ab ipso narratarum copiam fando acceperat. Narrationes enim ex antiquitatis memoria reservatae et a patre ad filios propagatae in hominum ore versabantur; quibus in colligendis comparandisque multum laboris consumsit. Atque non minimam talium narrationum partem debet exegetis, tum sacrorum et oraculorum interpretibus, veluti Iophonti Gnosio I, 34., tum monstratoribus sive mystagogis, *qui hospites ad ea, quae videnda erant, ducere, et unumquodque iis ostendere solebant.* Cic. Verrin. IV, 20. Commemorat Argivorum, Sicyoniorum, Messeniorum, aliorum *ἐξηγητὰς*, qui illarum gentium originem, antiquitatem aliaque scitu digna peregrinantibus enarrarent. Ruhnken. ad Timaei lex. s. v. *Ἐξηγηταί*. Iam quum ea sit Pausaniae in terris describendis ratio, ut quoties simulacri vel monumenti mentio facta est, causam cur hoc exstructum sit, exponat; in hac explicanda saepe exegetarum auctoritatem secutus videtur. Qui tamen, ut novi ali-

aliquid et inauditi proferrent, a veritate recedentes fabulas et nugas advenis propinabant. Testimonio est vel ipse Pausanias II, 23, 6.: οὐ μὴν οὐδὲ αὐτῶν λείπονται Ἀργείων τοὺς ἐξηγητὰς, οὐ μὴ πάντα ἐκ' ἀληθείας λέγεται σφισι λέγουσι δὲ ὁμῶς. — Praeter exegetas alios quoque, quos in itineribus convenit suis, de terrarum situ et incolarum institutis moribusque consuluit. Quorum quidem alii testes habendi sunt satis locupletes, alii vero de industria in fraudem impulsisse videntur Pausaniam. Laudantur enim ab eo Ἠλείων οἱ δοκιμώτατοι ἄνδρες VI, 26, 1., qui fidem rei ab ipso narratae praestarent. Praeterea affert narrationes tum a nautis ad Italiam navigantibus III, 12, 3., tum a mercatoribus in Italiam profectis VI, 6, 3., tum a Poenis IX, 28, 2., tum a Carthaginiensibus II, 21, 7., tum ab aliis acceptas.

§. 12.

Fontibus Pausaniae, quoad eius fieri potuit, indicatis altera quaestio de ratione, qua eos secutus sit, solvenda nobis relicta est. Tota autem haec disquisitio in eo versatur, ut inquiramus, primum, an vera narrandi studio deditus fuerit, deinde, an ea floruerit ingenii dexteritate, quae verum a falso discernere queat.

Fidem Periegetae in rebus, quas ipse visu cognovit, enarrandis minime esse suspectam, supra iam significavimus ¹⁴). Eadem religione aliorum narrationes sin-

¹⁴) Mira quaedam et vix credenda inter ea reperiri, quae Pausanias visu cognosse sibi videbatur, haud diffiteor. Ut hoc utar, lib. IX, 18, 3. se ipsum vidisse refert sumum ex herois cuiusdam, cui Pioniarum incolae parentaturi fuissent, sepulcro sponte exsipientem: μελλόντων δ' ἐναγλίζει αὐτῷ καπνὸς αὐτόματος ἀνείσιν ἐκ τοῦ τάφου. ταῦτα μὲν οὖν συμβαίνοντα ἴδον. Haec et quae de delphino III, 25, 5. traduntur, quamquam fidem omnem excedunt, tamen ita comparata sunt, ut Pausaniam potius a nugatoribus in fraudem esse plectum, quam res a se ipso fictas narrasse iure statuamus. —

ceras et incorruptas memoriae prodidit; nuspiam eas, ut facum faceret lectoribus, inflexit et immutavit. Etiam si ipse rebus quibusdam sibi traditis fidem abrogaverit, tamen eodem modo, quo eas acceperat, litteris consignare sibi proposuerat. II, 17, 4. etc. Plures igitur fabulas, ab Herodoto, Thucydide, aliis ad historiae veritatem revocatas, nude a Pausania expositas invenies; sed hoc ipsum est, cur religiose fontes secutum eum esse conicias; cf. etiam de hac re Müller. *Prolegg. ad doctrin. myth.* p. 215. Diversas et inter se parum congruentes, quae circumferebantur, narrationes affert; neque tam inepte, ut Diodorus (Buttmann. *Mytholog.* II. p. 198. sq.), omnes inter se conciliare studet. Fabularum dissensum saepius commemorans ἤκει γὰρ δὴ, αἶτ, ἐς ἀμφιβήτησιν τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι τὰ πλείω. IV, 2, 2. et οἱ μὲν δὴ Ἑλλήνων λόγοι διάφοροι τὰ πλείονα, καὶ οὐχ ἥμισυ ἐπὶ τοῖς γένεσιν εἰσι. VIII, 53, 2. cf. IX 16, 4. Quae nullò fundamento, nisi fama, nituntur, iis plerumque addit φασί, λέγουσι, καλοῦσι, φήμη ἔχει, vel κειώρηκε ἐς τοὺς πολλοὺς, λόγος ἔχει, ᾄδεται et similia. Ea etiam, quae a parte tantum incolarum traderentur, subiungit a vulgari fama. I. 38.: λέγουσι δὲ οὐ πάντες, ἀλλ' ὅσοι τοῦ δήμου τοῦ Σκ. εἰσιν. cf. I, 14. extr. — Si nihil comperti habet, ingenue fatetur: σαφῶς οὐκ ἂν ἔχοιμι εἰπεῖν — τεκμαίρομαι δὲ. II, 35, 2. II, 34, 4. II, 28, 2. II, 18, 2. II, 18, 7. I, 28, 1. I, 27, 7. I, 37, 4. πυνθανόμενος — οὐδὲν ἄλλο ἐδυνάμην μαθεῖν, ἧ κ. τ. λ. I, 28, 3. πυνθανόμενος δὲ σαφὲς οὐδὲν — ἐπισταμένους τοὺς ἐξηγητὰς εὔρον, αὐτὸς δὲ συμβάλλομαι τῇδε. I, 31, 2. οὐδὲν εἶχον πυνθέσθαι παρὰ τῶν ἐξηγητῶν. II, 31, 6. συμβαλέσθαι — οὔτε αὐτὸς εἶχον, οὔτε ἀπεδεχόμεν τῶν συνίναι πειθομένων. I, 33, 3. II, 26, 2. etc. Neque quae hodie serpit mala consuetudo, ut alienae doctrinae cupidi libros, quos ipsi ne oculis quidem perlustrarunt, ad testimonium vocent, ea tunc temporis increbuit. Pausanias certe ab hac fraude alienus candide rivulos, si fontes ipsos adire

non potuit, indicavit. IX, 29, 1. 38, 6.¹²) Nec quamquam ethica quaedam ratio multis in locis praevallet, ad consilium quoddam aliorum tradita accommodat vel detorquet. Scriptores quoque, quos in partes suas vocat, nec immeritis laudibus effert, nec infesta invidia prosequitur. Sententiam Pausaniae de *Hieronymo*, de *Myrone*, de *Philisto* IV, 6, 15. I, 9, 10. 13, 8, nemo non probabit. Iniqua etiam magnorum virorum obtreectatio, quae Xenophonti vitio datur, aut partium studium in scriptorem nostrum non cadit. In rebus Messeniaceis quidem describendis alieniorem a Spartanis prodit animus, in eosdemque transfert culpam, ut IV, 4, 3.; sed quis est, qui eo nomine eum reprehendat? cf. IV, 14, 2. sq. 22. Neque quamquam Aratum de omnibus Graecis optime meritum esse dicit VIII, 52, 2, rebus Achaeis nimium addictus fuit: cf. VII, 11, 1. 14, 2.

At fuerunt nonnulli, qui Pausaniam adulationis reum agerent atque in rem suam I, 9, 6. excitarent. Siebelisius vero *Goldhagenum*, qui hanc accusationem factitavit, rectissime refutavit laudatis locis VII, 9, 10. 11. VIII, 2, 2. Praef. p. XV.

Verumtamen historici est, non solum, *ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis*, sed etiam *ne quid veri dicere non audeat*. Cicero de Orat. II, 15. Ad hanc legem si ea, quae Pausanias narravit, exigimus, non video, quomodo ab omni parte excusandus sit. Ut mittam de Homero eum suam ipsius sententiam prodere noluisse, quia aequalium reprehensionem veritus sit, IX, 30, 2.¹³); nonnulla, quae Ro-

¹²) — ταύτην τοῦ Ἡγησίου τὴν ποιῆσιν οὐκ ἐπελεξάμην, ἀλλὰ πρότερον ἄρα ἐκλελοιπυῖα ἦν πρὶν ἢ ἐμὲ γενέσθαι. Κάλλιππος δὲ Κορίνθιος ἐν τῇ ἐς Ὀρχομενίους συγγραφῇ μάρτυρα ποιῆται τῷ λόγῳ τοῦ Ἡγησίου τὰ ἐπη. —

— τοῦδε τοῦ Χερσίλου τῶν ἐπῶν οὐδεμία ἦν ἔτι κατ' ἐμὴ μνήμη, ἀλλὰ καὶ τὰδε ἐπηγάγετο ὁ Κάλλιππος ἐς τὸν αὐτὸν λόγον τὸν ἔχοντα ἐς Ὀρχομενίους.

¹³) — περὶ δὲ Ἡσιόδου τε ἡλικίας καὶ Ὀμήρου πολυπραγ-

manis opprobrio erant, aut reticuit et velavit, aut obscure innuit et significavit. Sicyoniorum enim res, ut ex Plin. H. N. XXXV. 11. discimus, Romanorum avaritia tam afflictæ erant et perditæ, ut illi, nisi vendendis Pausiae, clarissimi pictoris tabulis, tributa pendere non possent. Ac miserrimam fuisse eorum sub Romanorum imperio conditionem etiam ex Cicerone intelligi potest. Verrin. I, 17, init. Quam rem Pausanias silentio praetermittens ἐχόντων δὲ, inquit, ἀσθενῶς ἤδη τῶν Σικωνίων — αἰτίαν δὲ οὐκ ὀρθῶς ποιοῖ τις ξητῶν etc. II, 7, 1. Ut hoc loco rem, quæ sine dubio maximam ipsi movit indignationem, persequi noluit, sic alijs locis animi sensa caute et circumspecte temperat. VIII, 2, 2. —

Ab altera tamen parte negari non potest, Periegeten Neronis sacrilegia aliaque scelera libere notasse IX, 27, 3. X, 7, 1. Ac si non ea, qua debuit, libertate usus est, hoc minus fidei obstitit, quoniam in rebus gestis enarrandis id praecipue egit, ut remotæ antiquitatis vestigia recognosceret.

§. 13.

De *diligentia*, qua fontes secutus sit, magnam nobis expectationem movet, quippe qui pluribus locis haud mediocre studium in vero explorando se collocasse profiteatur: τὰ μὲν δὴ ἐς τοὺς βασιλεῖς πολυπραγμονήσαντί μοι κατὰ ταῦτα ἐγενεαλόγησαν οἱ Ἀρκάδες VIII, 5. extr. cf. I, 23, 6. 28, 7. IV, 2, 1. etc. Atque hoc certe diligentiam Periegetæ probat, quod minus accurate narrata in alijs libri partibus ipse corrigit et emendat: cf. I, 41, 3. cum VIII, 5, 1. et I, 35. sqq. cum X, 19, 4. sq.

μονήσαντι ἐς τὸ ἀκριβέστατον οὐ μοι γράφειν ἤδὲ ἦν, ἐπισταμένῳ τὸ φιλαίτιον ἄλλων τε καὶ οὐχ ἥκιστα ὅσοι κατ' ἐμὲ ἐπὶ ποιήσει τῶν ἐπῶν καθεστήκεισαν. et lib. X. c. 24.: ταῦτα ἡμῖς ἀκούσαντες τε καὶ ἐπιλεξάμενοι τοὺς χρησμούς, ἰδίᾳ δὲ οὐδένα αὐτῶν λόγον οὔτε ἐς πατρίδα οὔτε περὶ ἡλικίας Ὀμήρου γράφομεν.

cf. etiam I, 33, 6. II, 5, 4. Verum enim vero, etiamsi *Facio* non assentior, qui Pausaniam similem esse in itinere commentarios festinanter conscribenti contendit (Tom. II. p. 336.), tamen, mea quidem opinione, iusto levius in rebus gestis exponendis versatus est. Alia quidem quam accuratissime persecutus est (cf. supra pag. 14.), plura vero satis negligenter attingit. Id tamen non urgebo, quod ceteri, qui supersunt, scriptores remotissimam temporum memoriam explicantes saepe illi repugnant. Nam in his rebus fama dominatur, quae eundo variam induit speciem. Negligentiae igitur non imputandum est, quod lib. VII, 1, 3, alia atque Herodotus II, 98. et lib. III, 2, 1. alia atque Strabo XIII, 852. enarrat; neque quod lib. I, 22, 2. parum cum Plutarcho (Thes. c. 13.) consentit.

Iam vero desideraveris, ut sibi constet Pausanias in rebus gestis exponendis, neque pugnancia memoriae prodat. Qua in re minus nobis satisfecit. Optime quidem convenit lib. III, 3, 2. cum IV, 5, 3., falsusque est Larcherus ad Herodot. VII, p. 498. Nam priore loco verba: ὁ πόλεμος ὁ καλούμενος Μεσσηνιακὸς Πολυδάρου βασιλεύοντος μάλιστ' ἐς ἀκμὴν προῆλθε — aperte significant, idem bellum, iam antea ortum, nunc demum maxime flagrasse. At vero lib. II, 29, 4. cum I, 42, 4. (cf. Gedoynus ad Paus. I, 1. Baylius in Diction. v. Tecmesse et Sturz. ad Pherecyd. p. 90.) et lib. I, 18, 5. cum VII, 23, 5. pugnant.

A vera temporum ratione saepe aberravit. Anaxilae aetatem non recte a Pausania IV, 23. esse indicatam, eandemque ad seriora tempora deprimendam esse, post *Bentleium* (Opuscul. philol. p. 223. ed. Lipsiae) et *Larcherum* (ad Herod. Tom. V, p. 356.) alii animadverterunt. Fuerunt, qui ad hunc anachronismum tollendum duos fuisse Anaxilaos statuerent (vide quos Siebelis. laudat ad Paus. I. I.; his adde *Gillies history of ancient Greece* T. I, p. 205.). In eo etiam erravit scriptor noster, quod Gelonem Olymp. LXXII, 2. Syra-

cusanorum imperio potitum esse credit VI, 9, 2. Nam hic tyrannidem occupavit Olymp. LXXIII, 4. Hunc Pausaniae errorem iam pridem notarunt Dodwell. *Anal. Thucyd.* p. 42. et Cors. *Fast. Att.* III. p. 153. (cf. etiam Ios. Scaliger. *Animadverss. in Euseb. Chr.* p. 100.). Neque Demetrius, ut Pausanias I, 6, 6. tradidit, post cladem a Ptolemaeo acceptam (Olymp. CXVII, 1. cf. Diod. Sic. XIX, 84. sq. XX, 49. sq.) statim, hyeme tantum exacta, de eodem Ptolemaeo victoriam retulit. Etenim quinque annorum spatium inter cladem illam Demetrii et eiusdem victoriam interpositum fuit: cf. Mannertus *Hist. Alexandri M. success.* p. 372. sqq.). Syria etiam eo tempore, quo Periegeta opinatur, non a Ptolemao, sed a Seleuco occupata est: cf. Mannert. *Hist. success.* etc. I. 1. Neque Sicyon foederi Achaico se adiunxit *Antigono tutore Philippi* Macedoniam administrante II, 8, 3, sed *Antigono Gonata* imperium obtinente. Perizon. ad Aelian. V. H. III, 17.

Magnopere erravit VI, 19, 3. Quae enim h. l. de Miltiade narrat, ad Cypseli, non ad Cimonis filium pertinent. Herod. VI, 34. — Agidem III. de improvviso Pellenem, oppidum Achaeorum, adortum, ab Arato autem repulsum et fugatum esse tradit II, 8, 4. VII, 7, 2. VIII, 27, 9; eundem Megalopolin aggressum, turbine subite exorta, ab oppidi oppugnatione recedere esse coactum VIII, 27, 9.; denique Agidem in pugna ad Mantineam mortem occubuisse. VIII, 10, 4. 8, 6. VI, 2, 2. Quae omnia *Mansoni* a vero magnopere abhorreere videntur; cf. Sparta III, 2, p. 123. sqq. Ac de morte quidem Agidis vix dubitari potest, quin quae Plutarchus in Vita Cleomenis et Agidis prodidit, Pausaniae narrationi praeferenda sint. Pausanias enim quum Agidis III. mortem enarraret, de Agide II. cogitasse videtur ¹⁴). Causae vero, a Mansone allatae, cur cetera

¹⁴) De hoc Pausaniae errore cf. etiam Clinton. (*Fast. Attic.* p. 217. Oxoniae MDCCCXXVII. ed. II.), qui Pausaniam

quae Periegeta de Agide III. tradidit, in dubium vocanda sint, si quid video, non satis graves sunt. Iure autem reprehenditur quod Acrotatum, Cleomenis filium, in bello a Lacedaemoniis Megalopoli illato cecidisse opinatur. VIII, 27, 8. Nam Acrotatus, qui in acie contra Aristodemum, Megalopolitanorum tyrannum, diem obiit supremum, Arei filius, sive Acrotati a Pausania l. l. commemorati nepos fuit; cf. praeter Palmerium, a Siebelisio citatum, Clinton. *Fast. Att.* pag. 214. et 216. In eo etiam lapsus est scriptor noster, quod inter Philippi II. filios Perseus natu minor fuisse ipsi videretur II., 9, 5. ¹⁵). Nam hic, ut satis constat (Polyb. XXIV, 7. Liv. XXXIV, c. 47.), Demetrio, alteri Philippi filio, aetate anteivit.

Plures apud Pausaniam loci inveniuntur, ubi dubitare licet, utrum memoria exciderit, an fontes nobis ignotos secutus sit. ex. c. IV, 15, 1. III, 6, 5. et II, 9, 3. VI, 12, 2. VII, 6, 1. VII, 7, 4. et X, 36, 3. VIII, 11. etc. ¹⁶). His locis addi non debent II, 20, 1.

secutum esse existimat narrationem, ab ipsis Mantineae incolis, ut gloria huius oppidi augeretur, confictam.

¹⁵) Pausaniae verba haec sunt: τὸν γὰρ οἱ παῖδα Δημήτριον ὁ νεώτερος τῶν Φιλίππου παιδῶν Περσεὺς φαρμάκῳ διέφθειρεν. Quum primum in hunc locum incidissem, in mentem mihi venit, an forte ὁ νεωτεροποιδς legendum esset. Nam Perseus, quum ipsi nulla esset spes regni (Liv. l. l. c. 5.) nisi in scelere, ad id unum omnes cogitationes intendit. Sin vero locus emendandus esset, Siebelisii coniecturam ὁ ἔτερος praeferrem.

¹⁶) IV, 15, 1. — οὕτως ἀπέστησαν — τετάρτῳ δὲ τῆς τρίτης ὀλυμπιάδος καὶ εἰκοστῆς, ἦν Ἰκαρὸς Ἰππερησιαῖς ἐνῖκα στάδιον. Ἀθήρησι δὲ οἱ κατ' ἐνιαυτὸν ἦσαν ἥδη τότε ἀρχόντες, καὶ Ἀθηναίοις Τηλείας ἤρχεν. — Discrepat Pausanias a Marmore Oxiensiense, ceterisque scriptoribus omnibus. Quibus si fides habenda est, ut equidem puto, annui archontes, quorum primus fuit Creon, Ol. XXIV, 2. i. e. 683. a. Chr. demum instituti sunt. Quadriennio igitur integro Pausaniam ab aliis scriptoribus dissidere, neque cum iis hac in re posse componi, verissime animadvertit Corsinus *Fast. Attic.* I, p. 5. sqq. III, p. 17.

III, 24, 5. VII, 11, 1. VIII, 7, 4. Nam Philippi, Amyntae filii, expeditio in Peloponnesum, quae ibi enarratur, immerito *Vogelio* (Biograph. grosser Männer des Alterth. II, p. 290.) suspecta videtur. In Atticis quidem rhetoribus nulla fit huius rei mentio; attamen, quod Vogelium fugit, Polybius de eadem Philippi expeditione agit. Polyb. IX, 28, 6. 36, 6. cf. Mansonis *Sparta* III, 1, p. 245.

Paucis tantum plura innuit, quae uberiore tractatione quam maxime digna erant. Quae res nescio an eo excusari possit, quod multa ab aliis iam narrata

sq. *Siebelisius* Marshamum (Can. Chron. p. 561.) „haec Pausaniae inter se esse congrua, neque emendatione egere“ contendentem laudat; et Goldhageno neganti, scriptorem nostrum fide minus dignum esse quam Iustinum et Eusebium, accedit. —

III, 6, 5. II, 9, 3. — his locis Pausanias, dissentiens a Polybio IV, 35., regium Spartanorum imperium post Cleomenem esse sublatum contendit; cf. Siebelis., qui laudat Palmerium ad h. l. et Meursium de Regn. Laced. c. 20. —

VI, 12, 2. — Hiero a Dinomene h. l. occisus esse dicitur. At Hieronem morbo decessisse, eiusque nepotem Hieronymum a Dinomene esse interfectum, et alii scriptores memoriae prodiderunt et Livius XXIV, c. 7. cf. Facius et Clavier. ad Paus. l. l. —

VII, 6, 1. — In catalogo Achaicarum urbium Pausanias neque cum Herodoto I, 145, neque cum Polybio II, 41. consentit. De Herodoto quidem et Polybio cf. Niebuhr. Hist. Rom. Tom. II. p. 22. edit. II. De Pausania vero praeter interpretes cf. Bayeri Fasti Achaici in Commentt. Academ. Petropolit. Tom. V. p. 383. sqq. Coniectura tamen, qua Herodotum et Pausaniam inter se conciliare studet, iusto audacior mihi videtur. —

VII, 7, 4. X, 36, 3. — Anticyram, quae his locis ab Attilio devastata esse dicitur, Livius eversam esse a Flaminio tradit. Liv. XXXII, 18. —

VIII, 11. — Quae h. l. de Hannibalis morte invenitur narratio, eam, ut Siebelis. refert, iam Valckenarius cum iis, quae de Cambyse leguntur apud Herodotum III, 64. contulit. Equidem, quanti Pausaniae fabula facienda sit, haud diiudicaverim. Repugnat certe huic vulgaris de veneno hausto narratio. —

esse intellexerit. Hanc certe causam ipse affert, cur nonnulla silentio praetermiserit, ut III, 17, 7. de Pausania ad Plataeas victore τὰ δὲ ἐς αὐτὸν, ait, ὅποια ἐγένετο εἰδέναι οὐ δεηθήσομαι· τὰ γὰρ τοῖς πρότερον συγγραφέται ἐπ' ἀκριβὲς ἀποχρῶντα ἦν. cf. I, 23, 12. I, 5, 1. II, 30, 5. VIII, 43, 3. I., 8, 5. II, 30, 8. In rebus autem ab aliis iam expositis aut omittendis, aut commemorandis, quasnam sibi leges praescripserit, non facile est divinare. Saepissime enim locos ex historicorum scriptis, quamvis suppresso eorum nomine, operi suo intexuit. Hanc tamen rationem plerumque secutus videtur, ut ea, quae minus nota et in transcurso ab aliis commemorata essent, aut maximam partem integra ex illorum scriptis transcriberet, aut uberius exponeret.

§. 14.

De ingenii sollertia et acumine, quo in fontibus tractandis et in rerum veritate exploranda usus sit, Virorum doctorum sententiae in diversas abeunt partes. Cui enim iudicii dexteritatem vindicare non dubitarunt *Mitfordus* (Hist. Graec. T. I., p. 69. ed. Lond.) et *Ioannes Müllerus* (Opp. T. VI. p. 306.), eundem *Boeckhius*, ut alios omittam, *fidum* quidem *narratorem*, sed *parum iudiciosum* appellat. *Corp. Inscriptt.* p. 90. cf. etiam *Ind. Lectt.* in univers. litt. Berol. per semestre hib. MDCCCXXIV—XXV. p. 6. et *Ind. Lectt.* per sem. MDCCCXXII—XXIII. habendarum p. 4.

Iam vero, ut Pausaniae sententia de carminum quorundam γνησιότητι ingenium redolet harum rerum iudicio subactum (cf. supra p. 16.), sic quae de Myrone et Rhiano IV, 6, 15., de Hieronymo et Philisto I, 9, 10. 13, 8. disputat, scriptorem praedicant artis criticae haud prorsus ignarum. Neque omnia, quae litteris consignavit, pro veris et exploratis divendit: multarum certe rerum fidem, dubitatione interpo-

sita, infringit. Androtionis igitur narrationi addit εἰ τὸν ὄντα εἶπεν λόγον VI, 7, 2., neque temere inscriptionibus X, 36, 4., aut exegetarum commentis fidem habet; II, 23, 6. Poetarum etiam mythum ab aliorum narrationibus seiungit II, 21, 6.: ἀπόντος δὲ τοῦ μύθου, τάδε ἄλλα ἐς αὐτὴν ἐστιν εἰρημένα, et quae in vulgi ore circumferebantur, saepe in dubium vocat: λέγεται μὲν δὴ καὶ ἄλλα οὐκ ἀληθῆ παρὰ τοῖς πολλοῖς, οἳ ἱστορίας ἀνηκούσι οὖσι, καὶ ὁπόσα ἤκουον εὐθὺς ἐκ παίδων ἐν τε χοροῖς καὶ τραγωδίαις πιστὰ ἡγουμένοις. I., 3, 2. — εἰ δὴ τὰ ὄντα λέγουσιν Ἕλληνες II., 29, 7. etc. — ὅτῳ πιστὰ IV., 2, 4. V., 1, 6. IX., 10, 1. εἰ μέτεστιν ἀληθείας τῷ λόγῳ VII, 23, 2. οἱ μὲν δὴ ἀποσιμνύοντες τὰ ἐς αὐτὸν λέγουσιν III, 1, 5. Ipse se excusat quod interdum vel ea, quorum fidem praestare non posset, memoriae mandarit: ἐμοὶ μὲν λέγειν τὰ ὑπὸ Ἑλλήνων λεγόμενα ἀνάγκη, πείθεσθαι δὲ πᾶσιν οὐκ ἔτι ἀνάγκη. VI, 3, 4. (cf. Herod. VII, 152.).

Quae omnia Periegetae iudicium commendant. Attamen tum in fontibus eligendis, tum in diversis narrationibus diiudicandis mentis aciem saepe desideramus. Neglectis enim monumentis aut scriptoribus gravissimis fontes adiit parum limpidos. Ut hoc utar, in bellis Messeniis describendis, quos praeceuntes sibi habuit scriptores, passim quidem notat et refellit; verumtamen *Ephorum*, *Antiochum*, alios, de his rebus consulendos, non adhibuit. Qua de causa iis libenter assentior, qui toti Pausaniae narrationi maiorem fidem habendam esse negarunt, quam carmini epico, aut fabulae Romanensi. Boeckh. *Corp. Inscr.* p. 90. Müllerus *Aeginet.* p. 65. *Doriens.* I. p. 147. Rhianus enim, quem Pausanias secutus est, vulgarem famam varie inflexerat et immutaverat, neque quae a remotis illis temporibus plane aliena erant, carmini intexere veritus est. Myro autem, quem supra iam commemoravimus pag. 14., rhetorica et pragmatica ratione res ita persecutus erat, quasi ipse iis gerendis interfuisset. Boeckh. l. l.

Multo etiam cautius Homerus ad testimonium vocandus erat. Remotissimis enim temporibus quum Graeci in multas stirpes et familias divisi vagarentur, unaquaeque fere earum suam de gentium civitatumque primordiis et de ducum heroumque rebus gestis atque fatis famam habebat. Carmina autem illa, sub Homeri nomine celebrata, eorum praecipue locorum, ubi condita sunt, narrationes et fabulas, procul dubio pro libera, quae poetis concessa fuit, fingendi potestate mutatas continent, multaque, quae in ore hominum alias Graeciae partes incolentium versabantur, non attingunt. Haec igitur ab aliis Graeciae stirpibus memoriae prodita, nisi per se falsa et inepta sunt, eam solam ob causam, quod Homeri iis non accedat auctoritas, pro fictis et commenticiis haberi non possunt. Iam vero Pausanias in divini illius poetae testimoniis prorsus acquiescit, et cur haec illa narratio fide indigna sit, saepe non aliam affert causam, quam quod Homeri testimonio ea non comprobetur. Sic Bellerophontem regnum umquam possedissee II, 4, 2.; Dysaulen ullis propinquitatis vinculis cum Celeo coniunctum II, 14, 2. et Achillem inter Helenae procos fuisse III, 24, 7.; ex Niobis liberis duos ab Apolline et Diana esse servatos II, 21, in fine; Laodicen in captivorum numerum habitam esse X, 26.; Oedipum ex matre filios genuisse IX, 6, 5. et in Attica esse sepultum I, 28, 7.: haec omnia, inquam, non quidem, quia fabularum speciem prae se ferrent, pro figmentis habuit, sed quia vatis illius auctoritate non confirmarentur. Recedamus autem a fabulis. Navium catalogus, si minus omnino seriori tempori tribuendus est, certe tamen multas complectitur partes, quas post Heraclidarum tempora confectas esse inter omnes constat (cf. etiam O. Müllerus *Orchom.* pag. 376.). Hunc autem Periegeta plerumque quaestionis de remotissima memoria fundamentum ponit. Et ex eo, quod in Homeri carminibus loci mentio facta non sit, hunc illius aetate non exstitisse, nonnunquam colligit, ut II, 25, 2.

IV, 1, 3. ¹⁷⁾ Quam leve hoc argumentum sit, vel me tacente omnes intelligent.

Diversas narrationes et inter se dissidentes afferens lectoribus plerumque decernendi potestatem committit, ut I, 39, 5. 42, 2. II, 2, 3. 15, 1. III, 25, 2. etc. De causis etiam belli Messeniaci, quum aliam Lacedaemonii, aliam Messenii attulerint, *πειθίσθω δὲ*, inquit, *ὥς ἔχει τις ἐς τοὺς ἐτέρους σπουδῆς* IV, 4, 2. Atque multa, quanta fide digna sint, non curat: *ἔχεται καθὰ λέγουσιν* I, 22, 2. *τάδε μὲν οὕτω γενέσθαι λέγουσιν* III, 16, 3. *τάχα μὲν ἂν καὶ ἔχοι καὶ ἄλλως, δοκέτω δὲ ἢ λέγεται* III, 19, 4. *τοῦτο μὲν οὐκ ἐπέξειμι, εἴτε οὕτως εἴτε ἄλλως ἔχει* I, 26, 7.

Imprimis autem in historia remotissimorum temporum, quae communi fere Veterum opinione haud multum aberant ab ortu et progenie divina, multis fabulis, ad nostrum sensum prorsus indignis, quae ab historico referantur, fidem derogare veretur. Sic vulgari famae assentiens Lycaonem in lupum, Nioben in saxum esse conversam opinatur: *οὕτω πείθοιτο ἂν τις, καὶ Λυκάονα θηρίον, καὶ τὴν Ταυτάλου Νιόβην γενέσθαι λίθον*. VIII, 2, 2. Ac plurium narrationum veritatem, quae publico quasi testimonio comprobatae erant, praesertim quum ad res divinas spectarent, dubitatione interposita infringere veritus est.

Saepius quoque iudicium eius falsum est, ut VI, 9, 2., ubi negat, donarium Gelonis non tyranni, sed privati fuisse; nam tyrannus non Gelonum, sed Syracusanum se, Pausaniae opinione, appellaturus fuisset. Argumentum etiam, quo lib. VI, 13. utitur, nihili est.

¹⁷⁾ Messene urbs, quia Homerus eam non commemoraverit, non solum belli Troiani temporibus non extitisse, sed ne ante Epaminondae quidem aetatem condita esse Pausaniae videtur IV, 1, 3. Rectius de ea statuunt Diodorus XV, 66. et Strabo VIII, pag. 368., licet etiam hic Messenen iam Homeri aetate fuisse aedificatam neget pag. 358. extr.

Negat enim Myronem statuam Chionidis facere potuisse; nimirum, quia hic Myronem multum aetate antecesserat. At, quamvis Myro diu post Chionidem vixerit, tamen ut pila illa, Pausania iudice, a Lacedaemoniis diu post Chionidis mortem dedicata est, sic statua posteris demum temporibus facta esse potuit.

Quamvis igitur Pausanias veri investigandi et enarrandi studio deditus fuerit, neque unquam sciens prudensque ficta et commentitia, ut in fraudem induceret lectores, pro rebus re vera gestis vendiderit; tamen historiam face critica illustratam non exhibuit, quum nec locupletes ubique testes secutus sit, nec raro iudicii dexteritas ad explorandam rerum veritatem necessaria desideretur.

CAPUT II.

De Pausaniae in fabulis explicandis παρρησίᾳ et iudicii subtilitate.

§. 15.

Alterum disputationis huius campum longe lateque patentem, quoniam bene cognitum et perspectum habemus, quid humeri valeant, quid ferre recusent, tremēte pede et vacillante animo ingredimur. Nam quum tam mira sit de Veterum theologia opinionum dissensio, tam diversa in fabulis explicandis ratio et via, optandum magis, quam sperandum videtur, fore, ut nostra opella omnibus probetur. In ipsa autem re pro virili parte pertractanda nihil antiquius duximus, quam ne quid nobis dissimularemus, aut temere et inconsulto aliorum sententias amplecteremur.

Quae est igitur maximi momenti quaestio, quomodo Pausanias ad fabulas interpretandas instructus et paratus fuerit, ad eam solvendam primum nos accingamus. Fontes, ex quibus mythos hausit, maximam partem iam indicavimus. Nam inter eos, quos in rebus gestis enarrandis secutus est, plurimi etiam de fabulis consulti potuerunt. Inprimis autem sacra Graecorum carmina, ut *Orphicorum*, *Epimenidis*, aliorum manu tractaverat assidua. Praeterea tum ex sacerdotibus, tum ex aliis sacrorum causas et ritus sciscitabat, et quae iis accepta refert, ea τὰ λεγόμενα ἐπὶ τοῖς ὁρῶμένοις, sive ἐς τὰ δρῶμενα II, 37, 3. III, 22, 2. et τὴν λεγομένην ἐπ' αὐτοῖς

αἰτίαν I, 24. aut *ἱερὸς λόγος* II, 13. VIII, 15. appellat. Accedit, quod sacris Eleusiniis initiatus erat I, 37, 3. 38, 5. etc.; neque Cabirorum et Dionysi arcana ignorasse videtur.

Prisca theologiae Graecae simplicitas Periegetae aetate tantum abfuit, ut ab omnibus vel perciperetur vel probaretur, ut confundendis diversarum gentium fabulis et mythis rerum divinarum ratio in dies magis magisque immutaretur. Praesertim ex Oriente res sacrae ad Deorum auctoritatem propter aniles, quae de iis fictae erant, fabulas valde impugnatam et labefactam restituendam adsciscebantur. Ad quas amplectendas quo propensiores, qui tunc temporis vivebant, homines erant, eo facilius praestigiis artibusque magicis aditus patebat. Neque solum oraculis, somniis, aliis divinandi generibus, sed etiam rebus miris naturaeque fines excedentibus multum tribuebatur. Eodem autem tempore prodierunt viri ingenio acuto et perspicaci praediti, qui, quo absurdiora de Diis commenta circumferebantur, eo maiore contra omnia disserendi studio exardescerent. Quali enim lepore et urbanitate aequalium superstitionem, totamque de Diis cogitandi rationem notavit Lucianus! Longe alia, quam Lucianus, Pausanias incedit via. Nam liberum de rebus divinis iudicium, animus nullo superstitionis errore captus in eo non eminet; summa vero pietas, morum integritas et candor sole clarius elucet. Virtutis laudator integerrimus vitia aversatur et notat. Ex tribus autem, quas Veterum religio observari iussit legibus, eam, qua homines ad pietatem erga Deos excitabantur, maximis laudibus effert. Atque haud scio an temporum antiquiorum studium, cui Periegeta deditus fuit, inde potissimum ortum sit, quod priscos homines tum aliis virtutibus, tum *εὐσεβείᾳ* excelluisse existimaverit. Eandem virtutem ab aequalibus negligi nonnunquam queritur, atque neglecta pietas vitiaque increbescencia in causa ipsi esse videntur, cur homines non tanta, quanta

olim, Deorum benevolentia fruantur: οἱ γὰρ δὴ τότε ἄνθρωποι, ait lib. VIII, c. 2, 2., ξένοι καὶ ὁμοτράπεζοι θεοῖς ἦσαν ὑπὸ δικαιοσύνης καὶ εὐσεβείας· καὶ σφισιν ἐναργῶς ἀπήντα παρὰ τῶν θεῶν τιμὴ τε οὖσιν ἀγαθοῖς, καὶ αἰδικήσασιν ὡσαύτως ὀργή, ἐπείτοι καὶ θεοὶ τότε ἐγίνοντο ἐξ ἀνθρώπων κ. τ. λ. ἐπ' ἐμοῦ δὲ (κακία γὰρ δὴ ἐπὶ πλεῖστον ἠὔξετο καὶ γῆν τε ἐπενέμετο πᾶσαν καὶ πόλεις πάσας) οὔτε θεὸς ἐγίνετο οὐδεὶς ἔτι ἐξ ἀνθρώπου, πλὴν ὅσον λόγῳ καὶ κολακείᾳ πρὸς τὸ ὑπερέχον. Deorum autem numine omnia reguntur et gubernantur, neque quidquam humanae vires, fragiles et caducae (VIII, 35. extr.) contra divinam voluntatem proficiunt. I, 5, 4. Oppidorum olim opulentissimorum et maximorum ruinas secum reputans, de Megalopoli diruta, inquit, non erat, quod mirarer, εἰδὼς τὸ δαιμόνιον νεώτερα αἰεὶ τινα ἐθέλον ἐργάζεσθαι, καὶ ὁμοίως τὰ πάντα τὰ τε ἐχυρὰ, καὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ τὰ γινόμενά τε καὶ ὁπόσα ἀπόλλυται, μεταβάλλουσιν τὴν τύχην, καὶ ὅπως ἂν αὐτῇ παρίσταιται, μετὰ ἰσχυρᾶς ἀνάγκης ἄγουσαν VIII, 33, 1. Quo loco quae fortunae tribuitur vis, eam ex divina providentia pendere Pausanias credidisse videtur. Quaecunque enim gentes, familiae, singuli homines patiuntur, eorum nihil ad Deos non refert. Quos quum impietatem, iniustitiam, alia vitia supplicio afficere putaret (VIII, 37, 8.), facile adduci potuit, ut res adversas et infortunia hominum pro poena ipsis a Diis irrogata haberet. Arcades, ut exemplis aliquot utar, qui Graecos cum Philippo dimicantes deseruerant, a Romanis quidem opprimuntur, divinitus tamen haec clades iis illata est; VIII, 15, 3: ἔνθα δὴ ἐπελάμβανε τοὺς Ἀρκάδας ἐκ θεῶν δίκη τῶν Ἑλληνικῶν. Lacedaemonii quoque, cur rem male gererent, Cleomenis perjurium in causa fuit VII, 7, 2.; atque ob violatos supplices tum Helice, tum alia oppida terrae motu deleta sunt VII, 24, 5. 25, 1. Neque quum Mithridatis copiae Delum insulam, Apollini sacram, devastassent, milesque quidam Dei simulacrum in mare abiecisset, Mithridates eiusque dux, Menophanes, Apollinis iram effugere po-

potuerunt. Hic enim ab insidiatoribus occisus est; illum vero Deus mortem sibi consciascere coëgit. *Μισθριδάτην* δὲ ὕστερον τούτων ἠγάγασεν ὁ θεὸς αὐτόχειρα αὐτοῦ καταστῆναι. III, 23, 3. Denique ut alia omittam, Sylla qui crudelissime Graecorum et civitates et Deos vexaverat, propterea quod Aristionem ex Minervae templo vi extractum interfici iusserat, teterrimo morbi genere oppressus, Deo violati supplicis vindici poenas dedit. I, 20, 4. cf. IX, 33, 4. — Ex quibus exemplis Pausaniam scelerum flagitiorumque vindices esse Deos persuasum habuisse abunde, ut opinor, intelligitur. Simul vero in causis, cur Dii infortunia et calamitates his illis immiserint, definiendis, stultitia quaedam et superstitio cernitur. Quae in eo etiam apparet, quod si qui homines meliore, quam qua usi essent, fortuna digni ipsi fuisse videbantur, Deos iis invisisse existimaverit. II, 33, 3., ubi Demosthenis mentione facta, καὶ μοι τὸ δαιμόνιον, inquit, δεῖξαι μάλιστα ἐπὶ τούτου δοκεῖ καὶ Ὀμήρου πρότερον ὥς εἴη βάσανον. et III, 9, 3. de Agesilao, καὶ οἱ αἱ, θεῶν τις ἐβάσκηνε, μὴ ἀγαγεῖν τὰ βουλευμάτων εἰς τέλος.

Interdum quidem a vulgi opinione recedens altioris doctrinae speciem sibi induit, ut II, 31, 2. 35, 4. III, 25, 4., ubi subterranea esse Deorum regna, quo animi convenient, diserte negat. Attamen, quamquam passim iudicium suum a vulgi temeritate seiungit, eosdem paene errores atque aequales fovet. Somniis et oraculis magnam tribuit auctoritatem; illis, quo minus de rebus divinis copiosius agat, impediri se saepissime affirmat; his vero futura praedicta esse credula sibi persuasit mente. cf. VII, 21, 5. etc. ¹⁸⁾ Quin ne spe-

¹⁸⁾ Trophonii oraculum se ipsum consuluisse lib. IX. 39, extr. tradit, et quantum divinis effatis tribuerit, vel ex lib. V, 7, 2. apparet; quo loco fabulam illam de Alpheo amne subter mare meante et Arethusae fonti apud Syracusas se immiscente

etris quidem fidem abrogare audet I, 23, 3., neque de heroum in pugna adversus Gallos praesentia dubitat. VIII, 10, 4. X, 23, 3. Negari tamen non potest, Periegeten ipsum multas fabulas, de Diis vulgatas, reie-
cisse: τοῦτον τὸν λόγον, καὶ ὅσα δοικόντα εἴρηται περὶ θεῶν οὐκ ἀποδεχόμενος γράφω, γράφω δὲ οὐδὲν ἥσσον II, 17, 4. Procul dubio plures, nisi eas ad pietatem aequalium erga Deos excitandam putasset valere, commemoraturus non fuisset. Alias vero neque credendas, neque non credendas existimavit; eandem tamen litteris consignare non veritus est, praesertim quum ad Arcadiam progressus doctrinam iis inesse altiore sibi persuasis-
set VIII, 8, 2. Quo loco mythum illum de Saturno pullum equinum pro Neptano et pro Iove lapidem fasciis involutum devorante excusans, τοῖς Εὐλλήνων ἐγὼ τοῖς λόγοις, inquit, ἀρχόμενος μὲν τῆς συγγραφῆς εὐθείας ἔνεμον πλέον, ἐς δὲ τὰ Ἀρκάδων προελθὺς πρό-
τοιαν περὶ αὐτῶν τοιάνδε ἐλάμβανον Ἑλλήνων τοὺς νομι-
ζομένους σοφοὺς δὲ αἰνιγμάτων πάλαι καὶ οὐκέτ' ἐκ τοῦ εὐθέως λέγειν τοὺς λόγους. Quibus ex verbis Lobeckius rectissime, ut mihi quidem videtur, collegit, physiologicas sacrarum fabularum interpretationes Pausaniae antehac fuisse incognitas (*de myster. Graec. arg. II, p. 6. cf. etiam Aglaopham. p. 151.*). Certe, si illae Periegeten haud latuerant, nunc demum haec fabularum interpretandarum ratio ipsi probabatur.

§. 16.

Plerumque Pausanias in enarrandis mythis, de Diis vulgatis, acquiescit; quid autem fabulae significant, lectoribus ipsis investigandum relinquit. Sic, ut ad illum locum redeamus, quem modo excitavimus, mytho illi

attingens οὐκ ἔστιν, αἶτ, ὅπως ἀπιστήσω, τὸν θεὸν ἐπιστάμενος τὸν ἐν Δελφοῖς ὁμολογοῦντά σφισιν. —

de Saturni errore reconditam sapientiam inesse arbitrat; hanc tamen ipse eruere non conatur. Interdum quia nihil comperti habeat, mytho se assentiri ingenue fatetur IX, 5, 1.; aut lectores ad sacerdotes ablegat, I, 23, 3, ut ab his de fabularum quorundam vi, de Deorum cognominibus eorumque causis certiores fiant.

Ut autem nauta scopulos, ne naves ad eos frangat, e longinquo fugit et evitat, sic Pausanias religionum arcana, ne impietatis reus fieret, verbo attingere veritus est. Somniis saepe impediri se dicit, quominus quae ad mysteria pertineant, profanis prodant. Secretiores igitur fabularum interpretationes, qualescunque illae fuerunt, caute et religiose celat.

Ad Cyamitae templum progressus compertum se habere negat, fabularumne hic primus sationem docuerit, an heroum alicui hoc nomen tributum sit; fabularum inventum Cereri vindicari non posse contendens ὅστις δὲ ἤδη, ait, τελετὴν Ἐλευσίνι εἶδεν, ἥ τὰ καλούμενα Ὀρφικὰ ἐπελέξατο, οἶδεν ὃ λέγω I, 37, 3. Religioni etiam ipsi fuit, de Triptolemo et Despoena quidquam praeter sacerdotum aliorumque narrationes in medium proferre I, 24, 2. VIII, 37, 6. Quin ne nomen quidem Despoe-nae eloqui audet. — Mercurio cur aries adstet, vulgarem et satis tritam fabulam affert, scilicet quod greges tueri et augere existimaretur; quae vero de Mercurio et ariete in Rheae mysteriis traderentur, ea consulto ne reticere dicit: τὸν δὲ ἐν τελετῇ Μητρὸς ἐπὶ Ἑρμῇ λεγόμενον καὶ τῷ κριῶ λόγον ἐπιστάμενος οὐ λέγω II, 3, 4. Cuius silentii utrum religio sola causa fuerit, an pudor etiam accesserit, quum turpis de ariete fabula in mysteriis celebrata esset, difficile dictu est. Lobeck. *Aglaopham.* p. 151.

De Cabiris quoque quae a Thebanis acceperat, enarrat, Cererem ipsam eorum sacra instituisse. Quinam autem illi essent, ignorare nos voluit: οἵτινες δὲ εἰσιν οἱ Κάβειροι, καὶ ὁποῖά ἐστιν αὐτοῖς καὶ

τῇ μητρὶ τὰ δρώμενα, σιωπὴν ἄγοντι ὑπὲρ αὐτῶν συγγνώμη παρὰ ἀνδρῶν φιληκόων ἔστω μοι. IX. 25, 2. Hoc unum addit, inexpiabilem esse Cabirorum iram, neque impune tulisse, quicumque eorum sacra violarit. De Cabiris cf. Müllerus *Orchom.* p. 450. sqq. Eadem religione prohibetur malum Punicum, quod Iuno manu tenebat, interpretari: τὰ μὲν οὖν ἐς τὴν ῥοιὰν, ἀπορρήτοτερος γὰρ ἔστιν ὁ λόγος ἀφείσθω μοι II, 17, 4. De hoc malo Punico cf. Böttiger. *Andeut.* p. 124. Welcker. *Ephem. H. Art.* p. 10. sqq. Etiam Phliasiorum, Arcadum, aliorum ἱερὸς λόγους verbo tantum commemorat, quid vero iis traditum sit, idem veritus est eloqui; II, 13, 3. VIII, 15, 1. etc.

Molestum sane et ingratum nobis videtur altum de rebus silentium. Frustra enim in summam spem adducimur, fore, ut fabulae alicuius vis exponatur. Sed, quamquam expectationem nostram non sustinet Periegeta, tamen, mea quidem opinione, haec nulla causa est, cur eum reprehendamus. Eadem certe religione alii antiquitatis scriptores tenebantur, ut Herodotus, qui, rebus paullo apertius expositis, περὶ μὲν τούτων, αἰτ, τοσαῦτα ἡμῖν εἰποῦσι καὶ παρὰ τῶν θεῶν καὶ παρὰ τῶν ἡρώων εὐμένεια εἶη (II. 45. extr.).

§. 17.

Iam vero in ipsis fabulis explicandis iudicii solertia et mentis acumen, quam maxime ad interpretationem earum necessarium, saepissime desideratur. Nam aut ipse mythorum explicandorum periculum facit, et id quidem nonnunquam invita, ut dicunt, Minerva, aut in vulgari earum interpretatione, parum acuta illa et subtili, acquiescit.

Multis fabulis verisimiliorem speciem induere, sive ad historiae fidem eas revocare studet. Etenim, ut hoc

utar, mythum de hydra ab Hercule interfecta poetarum commentis exornatum esse dicit II, 37, 4. Qua in re sane iudicium suum a vulgi opinione segregat. Verumtamen quis fabulam hanc recte eum interpretatum esse concedit, quum de hydra ipsa non dubitans hoc tantum negaret, pluribus capitibus eam instructam fuisse? Ut in hoc mytho, sic in aliis interpretandis ab altera parte vulgi temeritati repugnat, ab altera animum a superstitione liberum non servat; cf. V, 7, 2. — Pluribus fabulis historicam interpretationem admovet. De Niobes liberorum interitu, quae fabulosa tradita erant, ita explicat, ut Amphionis domum pestilentia deletam esse statuatur. IX, 5, 5. Reiiicit igitur sagittas Apollinis et Dianae, et pro his morbum excidii causam fuisse arbitratur. Simili ratione fabulam de Actaeone, a Diana in cervum mutato, interpretatur. Actaeonis enim canes sine deae instinctu rabie correptos esse credit, eosque, quum in furore neminem internoscerent, obvium quemque fuisse direpturos. IX, 2, 3. — His exemplis plura addere possum; sed nolo in iis recensendis insistere.

Dii autem cur hoc illo cognomine appellarentur, causas levissimas, aut ab aliis enarratas, aut a se ipso excogitatas nobis propinat. Interpretaturus igitur, cur Mercurius ἀνάητα sive ἀναήτοος vocetur, Arcadum sententiam sequitur, qui ab Acaco quodam cognominis originem derivarent. VIII, 3, 1. 36, 6. At, ut Prometheus apud Hesiodum ἀναήτωρ dicitur, quia magnis beneficiis homines sibi obstrinxerat (cf. F. A. Wolf. ad Hesiodi Theog. v. 614.), sic Mercurius eo nomine insignitur, quia mala cuiusvis generis avertit. Spanhem. ad *Callim. hymn. in Dian.* 143. — Neque Buneae Iunopis cognomen recte interpretatur. Hanc enim Deam a Buno, Mercurii filio, ita cognominatam esse statuit; II, 4, 7. Templum vero Iunonis in loco acclivi situm procul dubio causa fuit, cur illa Buneae nomine nuncuparetur. Nam βουνός idem valet quod *collis*. Quis

deinde Periegeten feret Minervam Aleam de Aleo, Arcadum rege, dictam esse affirmantem? VIII. 4, 5. 23, 1. cf. Wesseling. ad Herodot. I, 66, quem secuti sunt Larcherus ad Herod. T. I. p. 320. et Creuzer. *Symbol.* II, p. 786. Eadem Dea Pausaniae opinione Ἰππία appellata est, quia in Deorum adversus Gigantes pugna in Enceladum bigas immiserit. VIII, 47, 1. At Minervae cultum cum Neptuno arcte fuisse coniunctum, tum certamen inter utrumque numen de Athenarum possessione initum, tum aliae res extra omnem dubitationem ponunt. Minerva equestris cum Neptuno equestri colebatur Coloni I, 30, 4, Olympiae V, 15, 6. etc. Deus autem marinus, quum Ἰππιος appellatus esset, quia equus ipsi sacer fuit, idem nomen Minervae, quacum ille colebatur, tributum est. — Denique cur Apollini Lycaeī cognomen inditum sit, hanc affert causam: „quum lupi ovilia tantopere vexarent, ut nullus iam ex iis fructus capi posset, indicavit Apollo, quo loco aridum quoddam lignum iaceret; cuius corticem carnibus permistum quum ex eodem oraculo lupis apposuissem, illi simulatque gustaverant, interempti sunt.“ II, 9, 7. En fabulam Graeca vanitate confictam, ut ratio apparet, cur lupus Apollini sacer esset. Hoc autem animal sive propter colorem splendidum, sive propter visum acerrimum solis et lucis imago fuit. —

Tandem, ut alia omittam, ad Veneris Uraniae interpretationem, a Vossio (*epp. myth.* II, 336. ed. II.) iure notatam, accedamus. Thebis enim tria antiquissima Veneris signa, ab Harmonia, Cadmi uxore, ut fama vulgatum sit, dicata se vidisse enarrans ἔθετο δὲ, pergit, τῇ Ἀφροδίτῃ τὰς ἐπωνυμίας ἢ Ἀρμονία. τὴν μὲν Οὐρανίαν ἐπὶ ἔρωτι καθαρῷ καὶ ἀπηλλαγμένῳ πόθου σωμάτων, Πάνδημον δὲ ἐπὶ ταῖς μίξεσι, τρίτην δὲ Ἀποστροφίαν, ἵνα ἐπιθυμίας τε ἀνόμου καὶ ἔργων ἀνοσίων ἀποστρέφῃ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων. IX, 16, 2. Quae Veneris Uraniae interpretatio, ex schola Socraticorum petita, quam aliena

sit ab hoc antiquo signo, nemo non videt. Nihilominus Siebelius ad Paus. l. l. patrocinium suscepit Pausaniae, quippe qui Thebanorum narrationem, non suam ipsius sententiam aperuerit. Qua de re tamen dubitare licet, quum Periegeta quasi coniecturam suam propositurus, diserte ἕτερο κ. τ. λ. dixerit. Sed ut sit haec interpretatio Thebanis tribuenda, si Pausanias eam improbasset, verbo saltem id indicaturus fuisset.

Ab altera tamen parte non praetereundae sunt interpretationes, in quibus subtilitatis aliquid cernitur. Liberum optimo iure *Psilan* cognominatum esse affirmans, ψίλα γάρ, inquit, καλοῦσιν οἱ Λωρεῖς τὰ πτερά. ἀνθρώπους δὲ οἶνος ἐπαίρει τε καὶ ἀνακουφίζει γνώμην οὐδὲν τι ἥσσον ἢ ὄρνιθας πτερά. III, 19, 6. Quae interpretatio si minus vera est ¹⁹⁾, certe tamen non inepta dicenda est. Idem de Iovis Trioculi explicatione, de qua alii aliter iudicant, statuendum mihi videtur. Qui enim tres oculos Iovis signo imposuit, is, Pausaniae sententia, significaturus erat, unum eundemque Deum tribus mundi partibus imperare II. 24, 5. Ab hac Pausaniae interpretatione discedit Winckelmannus, qui tribus Dei oculis indicatum esse existimat, nihil eorum, quaecunque in coelo, in terra, in mari agerentur, Iovem latere. Opp. II, p. 450. Etiam Veneris *Melaenidis* explicatio habet certe, quo se tueatur (VIII, 6.) ²⁰⁾, quamquam eam unice veram esse, equidem non affirmaverim.

¹⁹⁾ Pausaniae sententiam ab Heynio (*Antiq. Aufst.* I, p. 80.) reprehensam tuetur Vossius (*epp. mythol.* II, p. 62. ed. II.). Lobeckius (*Wolfii litt. anal.* III, p. 51.), ut Siebelius. refert, eam quaesitiorem, Creuzerus (*Symb.* III, 415.) simpliciore esse contendunt.

²⁰⁾ — — Ἀφροδίτης ἐστὶν ἱερὸν Μελανίδος. ἐπὶ κλησὶν δὲ ἡ θεὸς ταύτην κατ' ἄλλο μὲν ἔσχευ οὐδὲν, ὅτι δὲ ἀνθρώπων μὴ τὰ πάντα αἱ μίξεις ὥσπερ τοῖς κτήνεσι μεθ' ἡμῶν, τὰ πλεῖστα δὲ εἰσιν ἐν νυκτί.

Iam vero licet in fabulis interpretandis παρρησία et indicii subtilitas plerumque desideretur, tamen ad Graecorum res sacras cognoscendas scriptor noster materiam praebet uberrimam. Nam si quis Veterum theologiam perscrutari cupiat, quum ipsius maxime intersit novisse religionum origines et mutationes, sacrorum ritus et formulas; has res, inquam, Pausanias, qui in iis et investigandis et enarrandis haud mediocre studium consumsit, largissima manu ipsi suppeditabit.

CAPUT III.

De Pausaniae in artis operum et descriptione et aestimatione peritia.

§. 18.

Egregium Pausaniae de artium historia meritum si quis recte perpendere velit, animum convertat ad ipsa opera ab eo descripta, circumspiciatque, quanta sit eorum copia, quanta varietas. Quae res, ut meritis laudibus efferantur atque exornentur, praeconem desiderant me disertiolem. Quo maior autem operum a Pausania commemoratorum numerus est, eo gravior haberi debet quaestio, an artis gnarus intelligensque fuerit.

Iam vero de artis scientia, qua Periegeta noster instructus fuerit, magna est inter Viros doctos controversia. Etenim Hirtius non multum tribuit illius peritiae, hacce quaestione posita: „*ob es je einen für die eigentliche Kunst weniger empfänglichen Alterthümer hätte geben können.*“ Quid Thierschius Hirtio responderit, nihil attinet hoc loco indicare; ipse autem *in-signem artis scientiam* scriptori nostro vindicat. Epoch. art. p. 121. Neque Schellingius in aliam sententiam discedit; quippe qui Pausaniae tum accurationem tum doctrinam ceteris scriptoribus, qui de artis operibus consulantur, longe praeferendam esse existimet. Schelling. ad Wagneri *librum de signis Aegin.* p. 244.

Multae profecto viae ad penetralia artium ducentes Periegetae aetate patebant; quas hodie ob temporis invidiam ingredi nobis non licet. Quid dicam de operum multitudine, Graeciae tunc temporis ornaento; quibus contemplandis tum sensus pulcri et venusti ali et conformari, tum manus insignium certe artificum cuiuscunque aetatis cognoscebatur. Quantacunque enim simulacrorum copia a Romanis e Graecia fuit transportata, tamen non solum *Myronis*, *Polycleti*, *Phidiae*, *Praxitelis*, aliorum artificia, sed etiam antiquiorum artificum signa maximam partem praedonum nequitiam effugerant. Cuius rei testimonium ex Pausania ipso petere licet: qui etiamsi tot simulacra commemoravit, tamen nonnisi insignium mentionem se fecisse pluribus locis profitetur; ut I, 23, 5.: — τὰς γὰρ εἰκόνας τὰς ἀφανιστέρας γράφειν οὐκ ἔθελε. etc. cf. supra pag. 6. Non eadem quidem fortuna usae erant tabulae pictae; sed de his quoque haud ita paucae Pausaniae aetate fuerunt superstites ²¹).

Haec igitur praeclara humani ingenii monumenta quum Pausaniae conspiceret contigerit, quis non sperabit, fore, ut peritiam in operum aestimatione nobis probet? Accedit, quod libri de artis legibus et praeceptis a clarissimis artificibus editi erant, quorum usu iudicium de rebus, quae ad artes pertinuerunt, regere et

²¹) Pausanias commemorat CLXIX. statuarios; quindecim tantum pictores. Ac de multis quidem picturis satis constat ex Graecia eas fuisse transportatas, ut de *Zeuxidis* Helena, quae Plinii aetate Romae Philippi porticibus ornaento fuit: Plin. H. N. XXXV, 9, s. 36. Plures vero de loco suo motae fuisse non videntur, ut *Athenionis agate*, et *syngenicon* (Plin. XXXV, c. 11, s. 40.) *Antidoti Pamphili*, *Aristolai*, aliorum imagines cf. Plin. l. l. c. 10. s. 36. c. 11. s. 40. — Pausanias autem praecipue ea artis opera describit, quae ad res sacras religionesque pertinuerunt. Inde causa apparet, cur tanta sit tabularum pictarum ab eo commemoraturum paucitas.

moderari potuit. Quis ignorat *Polycleti* librum, quem de symmetria partium humani corporis confecit? (*Galenus* πρὸ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα IV, 3. T. V, p. 449. ed. Kühn.). *Apelles* quoque pingendi artem excoluit, ut *Plinii* verbis utar, voluminibus editis, quae doctrinam eam illustrarent (*Plin.* XXXV, c. 10., n. 36.)²²). Quin vero *Periegeta* tum hos libros, tum alios in simili versantes argumento inspexerit, equidem magnopere dubito, in hanc potius discedens sententiam, ut eum artis scientiam ipsis contemplandis operibus comparasse sibi statuam. Tantum quidem abest, ut rudem et ignarum rerum, quae ad artes spectant, eum fuisse contendam, ut multiplicem, qua instructus fuit, doctrinam libenter agnoscam; tamen, ut mea fert opinio, in artis amatorum potius, quam in eruditorum et intelligentium existimatorum numerum referendus est.

§. 19.

Inter artis opera a *Pausania* descripta omnium copiosissime et accuratissime adumbrata sunt *Apollinis Amyclaei* thronus (III, 18, 6 — 19, 6.), *Cypseli* arca (V, 17, 2 — 19. extr.), *Polygnoti* in *lesche Delphica* tabulae (X, 25 — 31.). Ad haec igitur artificia potissimum, si de *Periegetae* in artis operum descriptione peritia iudicium laturi sumus, animum advertamus oportet.

Describendi peritiam qui sibi vindicaturus est, non solum singulas operis partes quam accuratissime debet

²²) Praeter hos multi artifices de eo artium genere, in quod incumbabant, praecepta tradiderunt, ut *Parrhasius*, qui inter pictores legumlator vocabatur (*Quintil.* XII, 10.), et *Euphranor*, quem *Plinius* de symmetria et coloribus volumina composuisse dicit (*Plin.* XXXV, 11., s. 40.). De arte sua disseruerunt etiam *Menaechmus Sicyonius*, *Xenocrates*, *Antigonus*, alii *Plin.* XXXIV, 8. s. 19. Denique nobilissima totius orbis opera recensuit *Pasiteles*, clarus statuarius, qui *Pompeii Magni* aetate floruit. *Plin.* XXXVI, 4. —

enumerare, sed eas etiam ita collocare et disponere, ut lectores facili negotio totius artificii imaginem mente comprehendant. Ac Pausaniae quidem diligentia in enumerandis figuris, sive pictis, sive caelatis, magni facienda est; maiore tamen cum cura res mythologicas, expressas in operibus, quam singulas horum partes persecutus est. Multa enim ad plenam et absolutam tum simulacrorum tum tabularum pictarum descriptionem necessaria cogitando affingere cogimur. Quorum alia quidem dedita opera, alia imprudens silentio praeterisse videtur Pausanias. Nam quidni eum statuamus respexisse interdum eos, qui aut eadem aut similia saltem opera oculis usurpassent. Atque haec causa fuisse videtur, cur de Iovis ²³⁾ et Apollinis thronis, quae quam maxime nostra interest novisse, verbo indicare supersederit. Etenim ut in Amyclaeo throno paulisper subsistam, de sellae altitudine, de loco, quo ea posita fuerit, de totius artificii natura incertos nos reliquit. Dei quidem simulacrum aeneum fuisse significat (III, 19, 2.); thronus vero utrum e lapide candido factus, ut Heynius opinatus est (*Antiquar. Aufß. I. et Opusc. T. V*, p. 360.), an quod verisimilius videtur, ligneus fuerit, indicare supersedit. De arca quoque, in qua Cypselus absconditus fuisse tradebatur, multa commemoratu quam maxime digna silentio praeteriit. Nam de huius forma, de altitudine et latitudine, nisi divinando et cogitando probabilem assequimur coniecturam, ex Pausaniae saltem verbis nihil certi colligi potest. Hinc mira illa coniectura, quam *Quatremarius* proposuit, Cypseli arcam similem fuisse magnis illis riscis, qui in septentrionali Germaniae parte ad vestes aliasque res conser-

²³⁾ cf. Quatremere de Quincy in *Jupiter Olympien* p. 209.: „Pausanias est fort loin d'avoir décrit tous les sujets du trône. Il est permis de croire que très-probablement il n'en a pas énoncé la troisième partie.“

vandos adhiberentur ²⁴). Quae sententia per se parum probabilis, quum tales risi, quales ille sibi finxit, ne reperiantur quidem uspiam, satis iam a Welckero (*Ephemer. hist. art.* p. 271. sqq.) et Thierschio (*Epoch. art.* p. 168.) refutata est. Eandem arcam ex cedro factam et emblematis, tum aureis, tum eburneis, tum ex eadem cedro caelatis exornatam fuisse Pausanias indicat; emblemata autem utrum arte expolita fuerint, an rudem prae se tulerint speciem, significare dedignatus est. De altitudine figurarum in hoc opere expressarum idem ne verbum quidem profert.

Verumtamen quod multa commemorare supersedit, non tam aegre ferendum est, quam quod res ipsas, quas percenset, non satis apte et perite disposuit. Ante omnia enim quaerere debebat, quaenam totius artificii esset actio, sive quaenam figurae primarias, ut ita dicam, partes agerent, quaenam secundarias. Quare explorata totius descriptionis ratio ita instituenda erat, ut primariae figurae a secundariis distinguerentur. Sed Pausanias hac lege plerumque neglecta ab ea operis parte, quae accedenti proxima fuit, describendi initio facto, singula percurrrens transit ad extremam. Alterius tantum tabulae, a Polygnoto pictae, quidnam primarium fuerit argumentum, significat X, 28, 1.: τὸ δὲ ἑτέρον μέρος τῆς γραφῆς, τὸ ἐξ ἀριστερῶν χειρὸς ἔστιν Ὀδυσσεὺς καταβεβηκὼς εἰς τὸν αἰδὴν ὀνομαζόμενον, ὅπως Τιθησίου τὴν ψυχὴν περὶ τῆς εἰς τὸν οἰκίαν ἐπέρχεται σωτηρίας. In altera vero tabula, cuius argumentum fuit Ἴλιος ἑλωκυῖα καὶ ἀπόπλους ὁ Ἑλλήνων, describenda diligenter quidem singula enumerat; sed eas figuras, in

²⁴) Iupit. Olymp. p. 125.: „L'usage de ces grands coffres existe encore de nos jours en Allemagne et dans le Nord: on y applique toutes les richesses de l'art, tout le luxe de la marqueterie; ce qui nous montre comment aussi un pareil objet put être un ouvrage d'art et de luxe.“

quibus cardo totius picturae versabatur, ab aliis non discernit.

Neque eam partem, ad quam primum se convertit, satis accurate definit. Sic in Cypseli arca adumbranda ab ea parte orditur, quam τὴν πρώτην γῶραν appellat. Quae quidem advenientibus ex adverso posita fuisse videtur. Atque Heynius (*de arca Cypseli* pag. 12.) eam de breviori arcae latere intelligit; multo rectius tamen Quatremerus eandem „un des grands côtés” dicit. Deinde si a laeva sive a dextera orditur Periegeta, vel maximi momenti est novisse, utrum se ipsum an opus describendum respexerit. Sed ne hoc quidem diserte indicat Pausanias. —

Denique artis operum partes, quae sibi invicem responderunt, distinguendae et symplegmata non in singulas figuras dissolvenda erant, sed accurate et diligenter indicanda. Quam rationem si Pausanias secutus esset, difficultates paene inextricabiles in delineandis operibus ab illo descriptis magna ex parte expediendae essent. Quid enim? Admirabilem tabularum a Polygnoto pictarum formam, partiumque dispositionem concinnam et aptam quis non animadvertit. Sed utriusque operis obscuram adumbrationem, non expressam imaginem Periegeta nobis proponit ²⁵). Nam singulas figuras in tabulis illis descriptas quam diligentissime

²⁵) De his Polygnoti tabulis et de Pausaniae in iis describendis peritia *Riepenhusii fratres* recte iudicarunt. „Plus on examine, inquit, les tableaux de Polygnote, tels que la description les représente à notre imagination, plus on peut se convaincre du sens signifiant de la conception générale de ces ouvrages poétiques et sublimes; mais plus on sent aussi la difficulté de reproduire aux yeux l'ensemble de la composition suivant l'ordre et les rapports, dans lesquels il l'a conçu. Pausanias, qui paroît exact lorsqu'il décrit les groupes isolés, est tout à la fois vague et peu précis, quand il traite de leur agencement réciproque.” *Peintures de Polygnote à Delphes dessinées et gravées par F. et I. Riepenhausen*, Rome MDCCCXXVI.

enumerans saepe nec quoniam ex his coniunctae et consociatae, nec quoniam loco illae positae fuerint, satis accurate indicat. Hinc facile est existimare, quam lubricum sit aleaeque plenum, mirificam utriusque picturae compagem et summam ita ante oculos animosque proponere, ut nativus singularum rerum ordo et nexus conservetur. Atque utriusque tabulae delineandae, cuius rei periculum *Lorrain* consilio et auctoritate Cayli fecerat (cf. Cayli *Description de deux tableaux de Polygnote* donnée par Pausan. in *Hist. de l'Acad. des Inscript.* T. XXVII.), praeclaram quidem operam navarunt *Riepenhusii fratres* ²⁶⁾, tamen praecipue dextri parietis pictura in plures incurrit reprehensiones ²⁷⁾. Omnes enim res tribus lineis, quarum alia super aliam ducta fuit, distinctae iisque impositae cogitandae sunt ²⁸⁾. Quarum linearum, quae fuit ima, ea longissima, quae suprema, ea brevissima fuisse videtur. Iam vero quae res utique ferri non potest in *Riepenhusiorum* tabula, murus ille est, quo tabula in duas partes dividitur. Distinguenda quidem sunt, quae extra urbem et quae in arce urbeque ipsa aguntur; id

²⁶⁾ in libro, qui inscribitur, *Gemälde des Polygnot in der Lesche zu Delphi nach der Beschreibung des Pausanias, gezeichnet von F. u. I. Riepenhausen*, Götting. 1805., et in libro supra a me laudato, qui Romae editus est.

²⁷⁾ Multa melius disposuit Goethius in censura huius picturae, *Ephem. litt. Ienens.* 1805. T. III. cf. etiam Böttiger *Archaeol. pict.* p. 296. sq. Meyer *H. Art.* I, 131. sqq.

²⁸⁾ Pausanias ad has diversas lineas indicandas plerumque utitur vocibus *ἄνω* et *κάτω*, *ἄνωτερον*, et *κατωτέρω*, *ὑπὲρ* et *ὑπὸ*. Ea dem autem verba nonnunquam de iis rebus adhibentur, quae cum aliis in una eademque linea collocatae sunt. Sic *ἄνωτερον* X, 31, 1. et *ὑπὲρ* 30, 1, de iis figuris dicitur, quae super alias quidem eminent, sed ita tamen, ut pars tantum corporis emiens conspiciatur. — *παρὰ*, *ἐπεξῆς*, *ἐσωτέρω*, *μετὰ*, *ἑγγύτατα* res deinceps collocatas indicant; quamquam *μετὰ* etiam de rebus in alia linea positis intelligi potest.

tamen locorum intervalle et iusta rerum dispositione indicari debet. Deinde in hanc picturam optime quadrat, quod *Welcherus* ad Philostratum p. 485. acutissime monuit, scilicet utriusque tabulae Polygnoti Delphicae oeconomicae dispositionem in numero septenario ita verti, ut certa sedes figuris plerisque assignari possit. Nam inter huius picturae lineas quae ima est, ea in septem partes dividatur oportet, in eaque media symplegma septem figurarum cernitur. Picti enim ibi sunt Polypoetes, Acamas, Ulysses, Ajax et Cassandra; denique Atridae galeati. Quibus figuris primariis hic proxime adstat Nestor, illic Neoptolemus. Iam eiusdem lineae partes extremae egregiae sibi invicem respondent. Etenim in hac parte Graeci omnia ad reditum adornant, in illa Antenor cum suis iter parat. Proximum Antenori locum cadavera tenent, et in adversa lineae parte Helena cum sex aliis figuris conspicitur. Denique reliquum spatium tum inter cadavera et Neoptolemum, tum inter Nestorem et Helenam Troianarum captivarum catervae explent.

Singulas figuras pieturae partes pluribus persequi a consilio et instituto nostro alienum est. Pauca tamen de altera Polygnoti tabula hoc loco observare mihi liceat. — Primarium igitur huius imaginis argumentum fuit *descensus Ulyssis ad inferos Tiresiae animam de reditu in patriam inveniendō consulturi*. c. 28, 1. Qua de causa Ulysses eiusque socii rectissime a Riepenhussis in suprema linea collocati sunt. A ceteris tamen, qui in orco versabantur, illi, qui adhuc inter vivos fuerunt, ut mihi quidem videtur, distinguendi erant. Ocnus igitur et heroinas in eadem linea, in qua Ulyssis socii positi sunt, non collocarim. Deinde extremas tabulae partes procul dubio obtinent, qui sceleribus commissis poenas sustinent sempiternas. Hic igitur collocandi sunt tum Sisyphus, tum quae non initiae fuerunt, tum Tantalus; illic cernuntur *Ocnus, Impius et Sacrilegus*. Tandem ut huic digressioni finem faciam, *Pa-*
ris

ris et *Penthesilea* a Troianis heroibus segregandi mihi non videntur.

Sed ne iusto diutius in hac re haereamus, ad scriptorem nostrum revertamur, atque inquiremus, quaeenam eius sit in artis operum aestimatione peritia.

§. 20.

Pausaniae iudicia de eo, quid artifices effecerint in operibus, certo plerumque argumento esse possunt, quid aequales in artificiis laudandum, quid vituperandum censuerint. Nam sententiam ad leges et praecepta, quae tunc temporis probabant artifices, accommodasse videtur. Atque ut Hadriani aetate artes, imperatorem patronum nactae, prosperrimo quidem successu colebantur ²⁹); tamen ad nativae pulchritudinis sensum paullatim obtusiora facta sunt hominum ingenia; sic Pausanias, quamvis multa egregia iudicia de artificum quorundam indole et natura tulerit, nihilominus ea instructus non fuit aestimandi peritia, quae intimam cum artis legibus familiaritatem et sensum pulcri ac venusti integerrimum probaret.

De simulacris, quae a Daedalo facta esse vulgo credebantur, optime Pausanias Δαίδαλος δὲ, αἶτ, ὁπότε αἰρῶσατο ἀτοπώτερα μὲν ἐστὶ τὴν ὄψιν, ἐπιπρέπει δὲ δμῶς τι καὶ ἔνθιον τοῦτοις II, 4, 5. Quae verba cum Platone

²⁹) Praeclare de Hadriani in Graecos eorumque artes meritis egit Winckelmannus, Opp. VI, p. 287. ed. Dresd., cuius verba haec sunt: „Durch Hadrian wurde die Kunst auf den Thron gehoben, und die Griechen, so zu reden, mit derselben; so dass seit dem Verluste der Freiheit Griechenland keine glücklichere Zeit erlebt und keinen mächtigeren Freund gehabt hat.“ et pag. 308.: „Wäre es möglich gewesen die Kunst zu ihrer vormaligen Herrlichkeit zu erheben, so war Hadrianus der Mann, dem es weder an Kenntniss noch an Bemühung fehlte; aber der Geist der Freiheit war aus der Welt gewichen, und die Quelle zum erhabenen Denken und zum Ruhme war verschwunden.“

(Hipp. maior. Opp. T. III. p. 3281. D.) et *Aristide* (Orator. II, pro Rhetor. T. II, p. 30. ed. Iebb.) bene conciliari possunt (Thiersch. *Epoch. art.* I. adnot. p. 36. sq.) eademque cum sententia, quam Aeschylus de antiquis signis tulisse fertur (Porphyr. de Abst. II, §. 18.) plane congruunt. Quis deinde Periegetae non assentietur, Rhoecei signum, quod unicum restabat, tum ad spectu vetustius, tum arte rudius esse contendenti: τοῦτο οὖν τὸ ἀγαθὸν τῆς ἐν τῇ Ἀμφίσιον Ἀθηνᾶς καὶ ἰδεῖν ἐστὶν ἀρχαιότερον, καὶ ἀγρότερον τὴν τέχνην X, 38, 3.; quum huius aetas in tam remotam cadat antiquitatem. (De aetate cf. Sillig. *Catalog. Artif.* s. v. *Theodorus*). Haud immeritis laudibus etiam effert Pythagoram Rheginum, qui, ut ex Plinio (XXXIV, 8, s. 19.) discimus, vel Myronem, praeclarum illum artificem, bis vicit, et artem statuariam multis modis excoluisse traditur (Plin. l. l. Diogen. Laert. VIII, Pythag. 25.). Hic igitur, Pausania iudice, si quis alius fingendi peritia sollers fuit: Πυθαγόρας ὁ Ῥηγίνος εἴπερ τις καὶ ἄλλος ἀγαθὸς τὰ ἐς πλαστικὴν VI. 4, 2. Eiusdem Pythagorae simulacrum, quo Euthymum effinxerat, spectatu dignissimum censuit: VI, 6, 2. Denique de Callimachi virtute disputans in eo, quod hunc statuarium summis artificibus adnumerari non debere censet, cum ceteris, qui de Callimachi et fingendi et caelandi arte egerunt, prorsus consentit: ὁ δὲ Καλλιμαχος ὁ τὸν λύχρον ποιήσας, ἀποδέων τῶν πρώτων ἐς αὐτὴν τὴν τέχνην, οὕτω σοφία πάντων ἐστὶν ἀριστος, ὥστε καὶ λίθους πρῶτος ἐτρίπησε καὶ ὄνομα ἔθηκε κακίζοντεχνον, ἣ θεμένων ἄλλων κατέστησεν ἐφ' αὐτῷ I, 26, 6. Nam etsi Callimachus λεπτότης ἕνεκα καὶ χάριτος a Dionysio Halic. (de Isocrate c. 3.) Lysiae oratori clarissimo comparatur, tantamque in operibus perficiendis posuisse dicitur industriam, ut sibi ipsi numquam satisfecerit, tamen nimium elegantiae studium nimiaque singularium rerum expoliendarum diligentia tum artifici

ipsi cognomen indidit ingloriosum, tum gratiae obstitit in operibus caelandis fingendisque quaesitae.

Prae ceteris autem plurimum tribuisse videtur *Onatae*, quem nulli artificum Atticae officinae posthabendum esse censet V, 25. extr., eiusdemque Apollinem, *Antipatri* epigrammate (in Antholog. Palat. IX, 238.) satis nobilitatum, dicit: θαῦμα ἐν τοῖς μάλιστα μεγέθους τε ἔνεκα καὶ ἐπὶ τῇ τέχνῃ VIII, 42, 4. Quid gloriosius de hoc artifice, a Plinio et aliis non commemorato, praedicari poterat, quam ne Phidiam quidem ipsi esse praeferendum³⁰⁾? Fuit certe unus ex nobilissimis statuariis; attamen illi, cuius in mente, ut Ciceronis verbis (Orat. c. IX.) utar, insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigebat, Phidiae, inquam, procul dubio priores deferendae sunt. Atque huius praeclara opera vereor, ut Periegeta recte aestimaverit. Iovem Olympium, „quem nemo aemulatur“ (Plin. XXXIV, c. 8, s. 19.), „cuius pulchritudo adiecisse aliquid receptae religioni videbatur“ (Quintil. 12, c. 10.), ne verbo quidem collaudat³¹⁾; neque Minervam in Parthenone, al-

³⁰⁾ Locum Pausaniae hic transscribere liceat, quia alii aliter eum intellexerunt: τὸν δὲ Ὀνατῶν τοῦτον, inquit Periegeta, οὗτινος τῆς τέχνης ἐστὶ τὰ ἀγάλματα, ὄντα Αἰγινήτην, οὐδενὸς ὑστερον θήσομεν τῶν ἀπὸ Δαυδάλου τε καὶ ἐργαστηρίου τοῦ ἀττικοῦ. De antiquiore Attica officina hoc loco sermonem esse, neque de Phidia cogitari posse Thierschius censet Art. Epoch. I. adn. p. 136. At tum eximia laus, qua Onatae Apollo ornatur, mea quidem opinione, aliud suadet, tum non video, cur Phidias in eorum numero habendus non sit, qui a Daedalo orti dicebantur. Nam Phidias e familia artificum genus duxisse videtur. Fratrem habuit *Plistaenetum* et fratrem patruelem *Panaenum*, pictores nobilissimos. —

³¹⁾ Egregie de Phidiae meritis in *Commentt.* de huius artificis *Vita* disputavit O. Müllerus, qui de Iove Olympio disserens „Quid ad laudem signi alicuius, inquit, efficacius dici potuit, quam habitum esse infortunium, si quis antequam id

terum Phidiae opus celebratissimum, laudibus ornat. Quibus simulacris Lemniam illam Minervam, summae quidem pulchritudinis opus, longe praefert (τῶν ἔργων τῶν Φειδίου θέας μάλιστα ἄξιον, Ἀθηνᾶς ἄγαλμα, ἀπὸ τῶν ἀναθέντων καλουμένης Ἀθηνᾶς I, 28, 2.). Insignis quidem laus, qua Veteres eam efferunt, Pausaniae non obloquitur. Fuit enim hoc simulacrum *tam eximiae pulchritudinis, ut formae cognomen acceperit*. Plin. XXXIV, 8, s. 19. Illa vero clarissima Phidiae opera, Iupiter Olympius et Minerva in arce Athenarum, admirationem, quam cunctis iniiciebant paene incredibilem, Periegetae movisse non videntur. Eadem certe cum diligentia eodemque animi sensu et affectu Cypseli arcam aliaque artis monumenta vetusta et rudia describit, quocum singulas illorum operum consummatissimorum partes adumbrat. De Polycleti Iunone, lib. II, 17, 4. sq. descripta, quam ceteri scriptores Iovi Olympio comparant, idem valet. Quod simulacrum, nisi ornamentis et magnitudine, Phidiae operibus cessisse negat Strabo lib. VIII, p. 551.: ἐν ᾧ (Iunonis templo) τὰ Πολυκλείτου ξόανα, τῇ μὲν τέχνῃ κάλλιστα τῶν πάντων, πολυτελεῖα δὲ καὶ μεγέθει τῶν Φειδίου λειπόμενα. Pausanias vero, eximium Polycleti de arte statuaria meritum non praedicans, tantum aedificandi peritiam, qua idem artifex excelluit, iustis laudibus exornat: Ἐπιδαυρίοις δὲ ἐστὶ θέατρον ἐν τῷ ἱερῷ μάλιστα ἔμοι δοκεῖν θέας ἄξιον τὰ μὲν γὰρ Ῥωμαίων πολλὸν δὴ τι καὶ ὑπερῷοι τῶν πανταχοῦ τῷ κόσμῳ, μεγέθει δὲ Ἀρκάδων τὸ ἐν Μεγάλῃ πόλει ἁρμονίας δὲ ἢ κάλλους εἶνεκα ἀρχιτέκτων ποῖος ἐς ἄμικλλαν Πολυκλείτω γένοιτ' ἂν ἀξιόχρεως;

conspexerit diem obiret (Arrian. Epictet. I. 6.); contra omnium malorum, quae aliquis perpessus sit, eius signi esse Nepenthes? Dio Chrysosth. Or. XII, pag. 208." Commentat. II, pag. 48. De admiratione, quam hoc simulacrum adspicientium animis iniicere solebat, cf. etiam Polyb. XXX, c. 15. et Livius lib. XLV, cap. 28.

Πολύκλειτος γὰρ καὶ θέατρον τοῦτο καὶ οἶκημα τὸ περιε-
 ρεῖς ὁ ποιήσας ἦν II, 27, 5.

Inter Myronis opera Bacchi simulacrum et Erech-
 theus maxime eminere ipsi videntur. IX, 30, 1. ³²⁾.
 Alia autem eiusdem artificis simulacra maiorem gloriam
 consecuta erant. Nam imprimis *Ladae* Laconis doli-
 chodromi statua (epigr. in Anth. Palat. T. II, p. 640.)
 discobolos (Quintil. II, 13.) et bucula illa (Plin. XXXIV,
 c. 8, s. 19.) miris laudibus celebrantur. Quae signa
 nescio an Pausaniae ignota fuerint, nisi forte *Ladae*
 statua, II, 19, 6. commemorata, eadem est atque illa
 Myronis.

Plerumque Pausanias parum accurate sententiam
 suam pronuntiat. Laudat enim in universum sive si-
 mulacra, sive imagines, ut de singulari cuiusque artificis
 virtute aut parum aut nihil discas. Praestantissima
 artis opera aeque ac rudiora et vetusta θεᾶς ἄξια dicit.
 Iisdem igitur verbis *Gitiadae* Amphitriten et Neptunum
 III, 17, 4., iisdem Bacchum *Calamidis* IX, 20, 4., iis-
 dem Apollinem aliaque signa *Praxitelis* commendat.
 I, 44, 2. ³³⁾. Qui quam diversa fuerint indole et na-
 tura nemo est, qui ignoret. Haec autem laudandi
 ratio, plerumque a Pausania observata, non probanda
 est, eademque sententiam meam, de Pausaniae aesti-
 mandī peritiā supra prolatam, egregie tueri et confir-
 mare videtur.

³²⁾ — τὸ δὲ ἄγαλμα ἀνέθηκε Σύλλας τοῦ Διονύσου, τὸ ὀρ-
 θόν, ἔργον τῶν Μύρωνος θεᾶς μάλιστα ἄξιον μετὰ γε τὸν Ἀθή-
 νησιν Ἐρεχθεῖα.

³³⁾ III, 17, 4.: — ἐπειργασται δὲ καὶ τὰ ἐς τὴν Ἀθηναῖς γέ-
 νειν καὶ Ἀμφιτρίτη καὶ Ποσειδῶν, ἃ δὴ μέγιστα καὶ μάλιστα ἦν
 ἔμοι δοκεῖν θεᾶς ἄξια. IX, 20, 4.: — ἐν δὲ τοῦ Διονύσου τῷ
 ναῷ θεᾶς μὲν καὶ τὸ ἄγαλμα ἄξιον, λίθου τε ὃν καὶ ἔργον Καλά-
 μιδος, θαῦμα δὲ παρέχεται μᾶλλον ἔτι ὁ Τρίτων. — I, 44, 2.: —
 Ἀπόλλων δὲ ἐν αὐτῷ κῆται θεᾶς ἄξιος καὶ Ἀρτεμις καὶ Ἀητῶ,
 καὶ ἄλλα ἀγάλματά ἐστι Πραξιτέλους ποιήσαντος, Ἀητῶ καὶ οἱ
 παῖδες. —

Non omittendum tamen est, Pausaniam inter simulacra diversae et artis et aetatis discrimen quoddam fecisse. Commemorat enim signa Aegyptia II, 19, 1.: *ξόανα γὰρ δὴ τότε εἶναι πείθομαι πάντα καὶ μάλιστα τὰ Αἰγύπτια*, et IV, 32.: *τὰ δὲ ἀγάλματα τὰ ἐν τῷ γυμνασίῳ ποιήματα ἐστὶν ἀνδρῶν Αἰγυπτίων κ. τ. λ.* Deinde laudat etiam, quae his fuerunt similia: *ὁ μὲν δὲ Πύθιος καλούμενος καὶ ὁ Δικατηφόρος τοῖς Αἰγυπτίοις μάλιστα ὁμοίᾳ ξόανois, ὃν δὲ Ἀρχηγέτην ἐπονομάζουσιν, Αἰγυπτιακοῦ ἔργου ἐστὶν ὁμοίος* I, 42, 5. Quo loco igitur signa Aeginetica opponit Aegyptiis, quorum monstruositas et torpor, ut Mülleri verba mea faciam, facile ab illorum simplicitate atque nativa specie dignosci potuisse videntur. Müllerus *Aeginet.* p. 111. Ab Aegineticis etiam discernit vetustissima Atticorum opera: *τὸ δὲ ἄγαλμα οὔτε τοῖς καλουμένοις Αἰγυπτίοις οὔτε τῶν Ἀττικῶν τοῖς ἀρχαιοτάτοις ἐμφερές, εἰ δέ τι καὶ ἄλλο, ἀκριβῶς ἐστὶν Αἰγυπτίων* VII, 5, 3. Cf. Thiersch. *Artis epoch.* p. 247. Denique meminit simulacra rudia et sine arte elaborata, *ἔργα ἀπλᾶ* V, 17. et *ἔργα σὺν τέχνῃ πεποιημένα οὐδεμιᾶ* II, 9. Quibus signis opposuit τὰ σὺν κόσμῳ et σὺν τέχνῃ πεποιημένα I, 23. Tandem saepe vetustorum simulacrorum mentionem facit, et ab iisdem ea, quae recentioris erant aetatis, segregat, ut III, 19.: — *ἔργον δὲ οὐ Βαθυκλέους ἐστίν, ἀλλὰ ἀρχαῖον καὶ οὐ σὺν τέχνῃ πεποιημένον*, et V, 17.: — *φαίνεται δὲ εἶναι μοι καὶ ταῦτα ἐς τὰ μάλιστα ἀρχαῖα*. Verumtamen, ut rectissime Quatremerus (Iup. Olymp. pag. 189.) monuit, Pausanias non semper verbo *ἀρχαῖον* simulacrum rude designat; immo quae singulari artificio perfecta fuisse videntur, interdum hac voce ab eo insigniuntur, ut IX, 33, 4. VII, 22, 6.

In ipsa autem operum vetustate definienda remota et remotissima tempora nonnunquam confundit ³⁴).

³⁴) Saepissime tempus, quod respexit, non satis distincte

Inter Vulcani opera sceptrum illud Agamemonis magna cum religione a Chaeronensibus cultum germanum esse arbitratur. Si causam quaeris, cur hoc unum opus Vulcano vindicet, nescio, annon ea his verbis contineatur: *εἶναι τι θεϊότερον οὐχ ἥκιστα δηλοῖ τὸ ἐς τοὺς ἀνθρώπους ἐπιφανές ἐξ αὐτοῦ* IX, 41. Ut vero hoc artificium, sic plura artis opera Pausanias vetustiora credit, quam rerum probabilitas pati videtur. Inter signa marmorea omnium antiquissima esse dicit, quae Coroebi tumulo ornamento essent: *ταῦτα ἀγάλματα παλαιότατα, ὅποσα λίθου πεποιημένα ἐστὶν Ἕλλησιν, ἰδὼν οἶδα* I, 43. extr. Marmoris quidem sculpendi ars quando inventa sit, accurate definiri nequit. Nam etsi hac Dipoenus et Scyllis, qui Ol. L. floruerunt, primi incla-ruisse dicuntur (Plin. XXXVI, c. 4.), tamen nulla ante horum artificum aetatem poni solita esse simulacra marmorea, per se haud est verisimile. Procul dubio autem artifices ex marmore serius, quam ex ligno, argilla et aere signa fabricari coeperunt. Iam vero Pausanias non indicavit quidem, quonam tempore ea facta essent; sed id ipsum argumento mihi est, haec simulacra ad ipsam Coroebi aetatem eum retulisse. Vetustiora certe ea habuit, quam Ariadnae chorum, e lapide candido factum, quem cum Gnosii Daedalo ipsi tribuit. IX, 40, 2. Ac de illis signis vix quisquam dubitabit, quin ad Coroebi tempora deprimi nequeant; de Daedali autem opere longe absum ab ea arrogantia, quae in hac re, etiam atque etiam pensitanda, arbitri speciem sibi induat. (Cf. *Thierschius* Epoch. art. I, adn. p. 39., qui dubitationes ab *Heynio*, *Boettigero*, *Quatre-*

indicat. Quatremeri igitur sententia, quam l. l. proposuit, haud improbanda videtur. „Il me semble, inquit, que les mots *παλαιότατον, ἀρχαιότερον, ἐς τὰ μάλιστα ἀρχαῖα* et autres, sans designation particulière, indiquent chez cet écrivain non les ouvrages de l'enfance et de l'ignorance de l'art, mais ceux des périodes, qui en précédèrent l'entier développement.”

merio de artificii Iulius vetustate motas, tollere studet). Sicut de hoc opere, ita de Cypseli arca ultra id, quod probabile videtur, vix progredi licet. Haec Enim, Pausania iudice, eadem fuit, in qua Cypselus absconditus erat. At nullum affert in suam rem argumentum, ex ipsa artificii natura depromptum, nisi quod inscriptiones Eumelo tribuenda ipsi videntur: ἄλλων θ' εἵνεκα καὶ τοῦ προσωδίου μάλιστα ὃ ἐποίησεν ἐς Δῆλον. Quodsi autem arcae vetustas in dubium vocari non debet, ut Heynius, Quatremerus, Thierschius statuunt, qui factum esse dicamus, ut Herodotus eandem de Cypselo fabulam Corinthiis referens lib V, 92., ne verbo quidem insignis illius operis mentionem fecerit. Cf. Welcker. *Ephemer. hist. art.* p. 272., qui fabulam de Cypselo, in arca servato, ex ipsa voce κυψέλη oriri potuisse acute monuit.

Inter aenea signa Learchi Rhegini opus, quod Lacedaemone vidit, antiquissimum esse censuit; παλαιότατον πάντων ὅποσα ἐστὶ χαλκοῦ. Quam sententiam de simulacri vetustate ut probaret δι' ὅλου γὰρ, pergit, οὐκ ἔστιν εἰργασμένον, ἐληλασμένον δὲ ἰδίᾳ τῶν μερῶν καθ' αὐτὸ ἐκάστου συνήρμωσταί τε πρὸς ἄλληλα, καὶ ἥλοι συνέχουσιν αὐτὰ μὴ διαλυθῆναι III, 17, 6. Atque haec quidem simulacrorum fabricandorum ratio iis temporibus, quibus aeris fundendi ars nondum inventa fuit, optime convenit. Qui igitur Learchum ex Dipoeni et Scyllidis disciplina prodisse contenderunt, de vetustate illius operis non recte iudicasse putandi sunt. Idem statuarius aliis Daedali ipsius discipulus fuisse videbatur. Commemorat Pausanias utramque de Learchi aetate sententiam: καὶ Λεάρχον δὲ ἄνδρα Ῥηγῖνον τὸ ἄγαλμα ποῆσαι λέγουσιν, ὃν Διποῖνον καὶ Σκυλλίδος, οἱ δὲ αὐτοῦ Δαιδάλου φασὶν εἶναι μαθητὴν —; tamen neutram diserte aut refellit aut probat.

Aperte erravit Pausanias, quum Iunonis signum, quod in Samo exstabat, Smilidi tribueret, eundemque Daedalo aequalem fuisse contenderet. VII, 4, V, 17. Heynius *Opus*.

scul. V, p. 344. Quatremerius *Iup. Olymp.* p. 175. Neque Endoei aetatem, quem Daedalo praeceptore usum eiusdemque in Cretam fugientis comitem fuisse dicit, recte indicavit: "Ενδοιος ἦν γένος μὲν Ἀθηναῖος, Δαιδάλου δὲ μαθητής, ὃς καὶ φεύγοντι Δαιδάλω δια τὸν Κάλω θάνατον ἐπηκολούθησεν ἐς Κρήτην I, 26, 5. Nam quae artifici illi tribuuntur simulacra, quorum unum ex ebore factum Augustus Romam transportavit VIII, 46., ea longe a Daedali aetate Endoeum removent. Hunc igitur Pisistratidarum temporibus floruisse imprimis ex eo colligi potest, quod Callias, ut Pausanias I, 26, 5, tradit, illius Minervam dedicavit. Etenim Calliam, quem Pisistratidis inimicissimum Herodotus (lib. VI, 121.), ludorum Olympiorum victorem Ol. LIV. alii perhibent (Sch. Aristoph. Av. 284.), ab eo, quem Pausanias l. l. commemorat, non diversum existimaverim; cf. Thiersch. *Epach. art. Graec.* pag. 47. Sillig. *Catalog. Artific.* s. v. Endoeus.

CORRIGENDA:

- p. 9. l. 22. *corr.* it
 p. 11. l. 19. - *ἐπίγραμμα*
 p. 18. l. 29. - *εἶχον*
 p. 38. l. 22. - *appareret*
 p. 48. l. 13. - *egregie*



